Lübber

3. 4. 2. 4 Lübbe
8?/8
C?c
G

DE
EARUM QUAE VOCANTUR
CAESARIANAE ORATIONUM TULLIANARUM
GENERE DICENDI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVI MENSIS IULII ANNI MDCCCLXXXIII

H. XI

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS GUTTMANN

SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

ALBERT TRABANDT, CAND. PHIL.

RUDOLF SCHARF, SEM. REG. PHIL. SOD. ORD.

WALDEMAR OLSEN, SEM. REG. PHIL. SOD. ORD.

GRYPHISWALDIAE, MDCCCLXXXIII.

MAURICIO ADOLPHO GUTTMANN

*

CONSTANTIAE
MATRIS MANIBUS

*

CAROLO MOELLER

*

CAROLINAE MOELLER
E GENTE TITELORUM

*

PRO PIO AMORE

ΑΝΤΙΔΩΡΟΝ.

De earum quae vocantur Caesarianae[1]), orationum Tullianarum genere dicendi.

Prooemium.

Quicunque orationes pro Q. Ligario et rege Deiotaro habitas perlegerit, haud facile eum fugiet, mirum quendam in modum ab eo dicendi genere quod in ceteris Ciceronis orationibus perspicuum sit, videri eas dissentire. Quam ad rem meum quidem animum Adolfus Kiesslingius, praeceptor meus doctissimus et benevolentissimus, attendit simul vehementissima perfundens perquirendi cupiditate, qua tandem ratione hae orationes ab ceteris different.

Quodnam vero dicendi genus in his, de quibus agitur, orationibus Cicero secutus sit, si quaerimus, responsum iam dedit Wilamowitzius, illustrissimus vir, in libello, qui inscribitur „die Thukydideslegende" in Hermae tomo XII p. 332 sq., ubi haec scripta videntur: *„ja er* (Cicero) *hat die neue Lehre* (sc. eorum qui solos Atticos veros imitandos sibi proposuerunt) *mit Modificationen, die bald nachher auch Dionys vertrat, eigentlich im Princip angenommen, in der Praxis freilich ihr nur in den Reden, die er vor dem Monarchen gehalten hat, aus Rücksicht auf diesen Rechnung getragen.*"

Et profecto quid est probabilius quam Ciceronem apud Caesarem dicentem id genus imitatum esse, quo utebatur Caesar. Apud ipsum quidem Ciceronem ipso illo loco, quo de

1) cf. Baiterum in adn. crit. editionis Turicensis ad Marcellianam: „Caesarianarum nomine hanc et duas quae sequuntur orationes appellant Nonius Marcellus p. 437, 9. Servius ad Verg. Aen. V, 187. XI, 438. Georg. II, 131. Valerius Probus p. 1471, 37. P. Schol. Lucani VII, 259. 313."

tribus generibus dicendi disserit, haec scripta videmus orat. VIII 24: „*Semper oratorum eloquentiae moderatrix fuit auditorum prudentia. Omnes enim qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur et ad eorum arbitrium et nutum totos se fingunt et accommodant.*“ Quid quod orator eodem anno scriptus est, quo Cicero pro Marcello et Ligario dixit? Caesar autem quin eorum, qui novum assectati sint genus dicendi, partes secutus sit, procul est dubio: de qua re vide quae dicit Wilamowitzius l. l.: „*Caesar hatte auch hier die Strömung erkannt und schaffte ihr freie Bahn.*“

Quae cum ita sint, vehementius etiam me cepit desiderium accuratius requirendi, quod docuerint nos de his orationibus sensus nostri, utrum recte docuerint an deceperint nos, et si recte nos duxerint, conandi certis id probare ratiocinationibus. Quamquam quatenus talis quaestio ad disciplinam quam vocant aestheticam pertinet, nihil omnino erit, ad quod recurramus, nisi ipsi nostri sensus, ut in nostra causa iis quibus persuadere volumus, idem suadeamus, ad quod Dionysius eos, qui Lysiae Gratias cognoscere studeant, adhortatus sit in iud. Lys. c. XI: *αἰσθήσει γὰρ τούτων ἕκαστον καταλαμβάνεται καὶ οὐ λόγῳ. ὥσθ' ὅπερ οἱ μουσικοὶ παραγγέλλουσι ποιεῖν τοῖς βουλομένοις ἀκούειν ἀκριβῶς ἁρμονίας . . . τοῦτο κἀγὼ τοῖς ἀναγιγνώσκουσι τὸν Λυσίαν, καὶ τίς ἡ παρ' αὐτῷ χάρις ἐστὶ βουλομένοις μαθεῖν, ὑποθείμην ἂν ἐπιτηδεύειν χρόνῳ πολλῷ καὶ μακρᾷ τριβῇ, καὶ ἀλόγῳ πάθει τὸν ἄλογον συνασκεῖν αἴσθησιν.*

Sed cum nihilo minus haec quaestio spectet ad grammaticam et rhetoricam, quae intercedunt differentiae inter nostras orationes et alias Ciceronianas, his eruendis et examinandis satis firmum habebimus fundamentum iudicii nostri. Comparando igitur probare nobis est constitutum. Quas autem in contentionem vocare voluimus Ciceronis orationes, in his eligendis ducebamur temporum, quibus singulae scriptae sunt orationes, ordinis ratione: inprimis enim afferre nos debere putavimus et eam quae antecedit et eas quae excipiunt nostras, id est et Milonianam scriptam a. a. Chr. n. 52 et Philippicas orationes scr. a. 44/43. Et Philippicas quidem ad-

hibuimus omnes, praesertim cum quam lubentissime data occasione uti vellemus una ostendendi quam prope illae accedant [2]) ad genus primarum orationum pro Quinctio et Roscio A. ante habitarum quam Tullius in Graeciam illud iter fecit Rhodiique Molonis disciplina prope mutavit eloquentiam, id est ad genus Asiaticum. Sed cum ipsa hac de causa de Philippicis adhibendis facile exsistat nobis adversarius [3]), adiecimus or. de imp. Cn. Pompei (anno 66) et de lege agrar. a. 63 habitam I, ut omnium Ciceronianae eloquentiae temporum quasi exempla haberemus: nam duas primas orationes non apte adhiberi ab omnibus facile intellegitur. Sed ut totam hic exponamus, quam voluimus esse comparationis rationem, hanc quasi legem iudicii constituendam putavimus. Ad obtinendum id quod probaturi sumus, omnino satis erit demonstrasse nostras orationes re vera differre a ceteris. Multo autem melius persuasuros nos spero, ubicunque contigerit nobis, ut apparentes differentias referamus ad differentias generis Asiani et Attici. Qua in re inprimis recurrendum nobis erit ad eam tenuis oratoris quem vocabant Atticum, imaginem, quam ipse Cicero in oratore § 76 sqq. informavit. Cuius loci et interpretatione et commemoratione supersedere hic possumus, cum ei explicationi, quae invenitur in Berbigii de Lysiae oratoris genere tenui dicendi programmate (Küstrin 1871), omnibus fere in rebus [4]) assentiamur. Nimirum ceteri quoque loci magni sunt momenti, ex quibus aliquis redundare possit fructus ad cognoscendum Asianorum et Atticorum genera dicendi, quos locos ad quam quisque pertinet eloquentiae partem ibi commemorabimus.

Restat, ut de dispositione huius dissertatiunculae pauca addamus. Primum Marcellianam a ceterarum orationum Caesarianarum societate segregandam putavimus, cum aliqua quidem ex parte aliter de eius genere dicendi iudicare coacti

2) vide Hellmuthium „De sermonis proprietatibus, quae inveniuntur in prioribus Ciceronis orationibus,“ Erlangae 1877, p. 5.

3) vide etiam caput VI huius dissertationis.

4) Quibus de rebus dissentimus ab eo, quamquam nullius fere sunt momenti, earum suo tempore fiet mentio.

esse videamur, id quod desinet mirari, qui illam orationem laudativo generi ascribendam esse meminerit. Qua de causa hanc orationem in capite separato tractabimus. Ceterarum autem orationum genus disquirentes nimirum in solam elocutionem incumbere voluimus [5]), in qua pertractanda eandem, qua veteres usi sunt rhetores, divisionem nempe triplicem in elegantiam, dignitatem, compositionem [6]) voluimus subesse. His absolutis illud de Marcelliana caput adiciemus nec denique facere poterimus, quin in postremo capite de Philippicis aliqua addamus.

Sed ipsam iam rem ingrediamur, cum nimis fere longum temporis spatium in praeparandis lectoribus commorati videamur.

Cap. I.

De elegantia.

„Purus erit et latinus, dilucide plane que dicetur“, ait Cicero informans tenuem illum oratorem, quem ii qui ipsius genus dicendi oppugnabant, solum existimari Atticum volebant. Et Dionysius quidem in iudicio de Lysia cap. II principi illi oratori tenui quem inprimis sequebantur, qui Romae quoque Attici volebant haberi, primas dat elocutionis purae et propriae: *Καθαρός ἐστι τὴν ἑρμηνείαν πάνυ καὶ τῆς Ἀττικῆς γλώσσης ἄριστος κανών κ, οὐ τῆς ἀρχαίας, ᾗ κέχρηται Πλάτων καὶ Θουκυδίδης, ἀλλὰ τῆς κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐπιχωριαζούσης ... κατὰ τοῦτο μὲν δὴ τὸ μέρος, ὅπερ ἐστὶ πρῶτον καὶ κυριώτερον ἐν λόγοις, λέγω δὲ τὸ καθαρεύειν τὴν διάλεκτον οὐδεὶς τῶν μεταγενεστέρων αὐτὸν ὑπερεβάλετο, ἀλλ᾽*

---

5) Nam cum Cornificius II, 2, 3 esse oportere dicat in oratore inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, pronuntiationem, duae videlicet res, memoria et pronuntiatio (sive actio) legendo percipi non possunt, duarum aliarum rerum inventionis et dispositionis, si unius oratoris genus dicendi tractamus, debet, si unius orationis, vix potest ratio haberi.

6) Cornif. IV, 11, 17: *Quae* (sc. elocutio) *maxime admodum oratori accommodata est, tres res in se debet habere, elegantiam, compositionem, dignitatem. Elegantia est, quae facit, ut unum quodque pure et aperte dici videatur.*

οὐδὲ μιμήσασθαι πολλοὶ δύναμιν ἔσχον, ὅτι μὴ μόνος Ἰσοκράτης. . . .

Contra Asiani et ii, qui in Graecia floruerunt, et ii, qui illos Romae sunt secuti, puro elegantique sermoni non nimium tribuerunt [7]). Atque his quidem Cicero restitit: sed procul dubio hac quoque in re sicut in toto genere nondum iis, qui severiores verae dictionis Atticae existimatores et imitatores exstiterunt, probabatur. Hellmuthius quidem Ciceronem et in prioribus orationibus permulta mutuatum esse a plebeio sermone nec in posterioribus prorsus tali ratione dicendi abstinuisse demonstravit.

Iam ex his effici potest, quantum huius dissertationis intersit de elegantia [8]) quaerere earum quae in contentionem vocantur orationum: adde quod Caesar in primo de analogia libro dixit verborum delectum originem esse eloquentiae (cf. Cic. Brut. 253).

Iam quas res qua ratione indagare velimus paucis exponamus: Volgaris sermonis vestigia ubi inveniantur, in lucem proferre non nullius erit momenti: ad quae indaganda non est, quo meliore utamur duce quam Wölfflini dissertatione

---

7) Romanos oratores Asianos etiam volgari cuidam indulsisse sermonis generi facile sit probatu nisi alia ex re, attamen ex duobus primis ipsius Ciceronis orationibus. Nec non ipsam hac quoque in re praeiisse Asiam mihi quidem habeo persuasum, etsi non primis innascentis modo novae eloquentiae temporibus, at Hortensi certe aetate paulloque ante. Apud ipsum autem Hegesiam notissimum illius eloquentiae genitorem in iis quidem, quae ad nostram aetatem duraverunt, reliquiis volgaris sermonis nullum fere invenimus vestigium, nisi huc vis referre Πιλούμενος τοῖς κακοῖς et τὸ στέαρ τῆς γαστρός, quae in fragmento exstant a Dionysio Hal. de comp. verb. tom. V, p. 120 R. servato: hunc plerumque tropis tantum immodice cernimus gestientem, id quod ei Agatharchides summo vertit opprobrio: quare de hoc caute modo licet iudicare, quamquam non possum non addere me hac in re non flocci facere, quod Hegesias Lysiae dicitur imitator (cf. Cic. Brut. 286/87, or. 226), cum hoc ad compositionem tantum pertinere Blassius mihi persuaserit. Ceterum ne posteriores quidem Asianos consulto puram elegantemque dialectum puto contempsisse (cf. Mommseni hist. Rom. III⁶ p. 578 sq.), sed ut diximus sibi tantum indulsisse.

8) id est de latinitate et explanatione, ut dividit Cornif. l. l.

„Bemerkungen zum Vulgärlatein“ in Philologi tomo XXXIV: etiam de quibus certa iam protulerunt vel Hellmuthius vel Landgrafius [9]), nonnulla afferemus. Nec dubitandum est, quin Cicero, quippe qui novum effinxerit urbanum sermonem, ideo quoque ab adversariis sit oppugnatus, quod hoc aut illud verbum novum invenerit vel de suo addiderit, quod aut omnino a lingua Latina repudiaretur aut certe a cotidiano sermone abhorreret. Denique eae sint colligendae locutiones, quae omnino exquisitiorem prae se ferant speciem rariusque propterea inveniantur aut apud Ciceronem aut apud omnes scriptores, qui in eiusmodi re sunt respiciendi.

De quibus rebus omnibus certum ferre ubique iudicium quis est qui neget esse perdifficile? Ac nobis quidem ad haec iudicanda praeter eos quos modo attulimus libros et pervulgatas Neuei, Draegeri, Zumpti aliorum artes plerumque non erant, e quibus hauriremus fontibus nisi Mergueti [10]), Nizoli [11]) Ciceroniana, Forcellini, Freundi, Georgesi totius latinitatis onomastica. Nec possumus non monere, ne quis obliviscatur, quam sit difficile apud Ciceronem ipsum quidem conditorem et parentem urbani sermonis (cf. inter alia Tac. dial. 20), quantum discesserit ab illo urbano genere dicendi, disquirere.

Ac Ligariana quidem oratione valde dubito, num cuius maiore iure puram laudare possimus elocutionem, sit apud omnes scriptores Latinos oratio: nihil fere sit quod adnotetur dignum. Nam quae breviloquentia sumpta a volgari dicendi consuetudine (cf. Halmii adn. ad h. l.) § 30 videtur inesse: *erravit, lapsus est, non putavit* (sc. se peccare): *si unquam posthac* (sc. peccaverit, non deprecabor), planam habet excusationem. Cum enim hic forensi actioni [12]) ad parentem

9) G. Landgraf „De Ciceronis elocutione in orationibus pro P. Quinctio et pro Sext. Roscio Am. conspicua“. Wirceburg. 1878.

10) H. Merguet „Lexicon zu den Reden des Cicero vol. I—III (A—P)“ Jena 1877—80.

11) Lexicon Ciceronianum Marii Nizolii ex recens. Alex. Scoti (cura I. Facciolatii) Patavii 1734.

12) Cf. § 30 init.: *Causas, Caesar, egi multas equidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum.*

agendi ratio [13]) opponatur, quasi necesse est orator hoc verbis etiam familiaritati aptis exprimat. Ceterum illud '*si unquam posthac*' [14]) valde addubito num iure dicatur breviloquentia, immo vero tamquam cantilenae cuiusdam prima verba afferuntur.

Aliter forsitan in or. p. Deiotaro hab. res se habere videatur, cum ex hac haec sint adnotanda: § 19 comiter et iucunde fuisses: cf. Rebling, „Versuch einer Characteristik der röm. Umgangssprache", Kiel 1873, p. 7. — Valde mireris, quod § 21 Di te perduint, fugitive et § 26 furcifer scriptum videtur, quas duas locutiones vix necesse est admonere sumptas esse de comicorum sermone. — § 33 sermunculi: quod substantivum sic in malam partem accipitur ep. ad Att. XIII, 10. Plin. ep. V, 8, 4.

Cum his confer, quae in ceteris orationibus, quas quidem ad comparationem adhibere voluimus, inprimis in Philippicis, exstant adnotatu digna [15]) ac

I. Quae volgarem redolent sermonem.

Mil. 60 Heus tu Rufio — cave sis mentiare [16]).

---

13) ib.: *ad parentem sic agi solet.*

14) Quae locutio brevior etiam est quam qui ex comicis comparentur loci: Ter. Phorm. I, 2, 91: *nunc amitte hunc: ceterum posthac si quicquam, nihil precor.* id. Eun. V, 2, 13: *unam hanc noxiam amitte: si aliam admisero unquam, occidito.*

15) Quae primum constitui non grammaticas secutus rationes digerere, sed singulas deinceps percurrens paragraphos adnotare: quod quidem magis e re videbatur esse, cum non grammaticae, sed rhetoricae operam darem idque inprimis esset studendum, ut quomodo animos nostros afficeret elocutionis genus tamquam oculis cernere possemus. Dein mutavi consilium suasore inprimis Kiesslingio, cum intellexissem multas saepe adnotationes mihi fore repetendas. Ergo quae invenimus memoratu digna in quasdam maluimus distribuere classes, in quibus constituendis quas supra p. 5 protulimus rationes nos duxerunt. Intra ipsos vero classium fines singularum orationum singulas deinceps perlustravimus paragraphos adhibita modo quam par est licentia.

16) De sis vocula pro si vis vide Hellm. § 70. Heus interiectio, quae in Ciceronis oratt. hoc tantum loco conspicitur, sermoni volgari deberi videtur: cf. locos ab Handio Turs. III, p. 72, 7 allatos et Quintil.

Phil. I, 15. X, 18 malum! quod idem valet ac nostrum „zum Henker“ [17]). Statim adiungam et VI, 12 malam quidem illi pestem! XIII, 48 Quin tu abis in malam pestem malumque cruciatum! et III, 22 malo multi digni [18]).

II, 21 oppilare [19]).

II, 96 priusquam tu suum sibi venderes [19]).

III, 10 insignite impudens [20]). Statim addas VI, 18 bene firmus [21]).

V, 51 recipere, quod hoc loco idem valet ac nostrum „auf sich nehmen, garantiren“, hac significatione persaepe apud Plautum Terentiumque et in epistulis Ciceronianis praeditum videmus: cf. etiam Krausium in programmate Hohensteiniensi a. 1869 p. 31/32.

VI, 12 numquisnam [22]), quod idem exstat leg. agr. I, 11.

X, 13 Quod di duint [23]).

VIII, 3, 21 et 22, qui inter „gratos idiotis lepores“ nostrum locum affert, ubi *non augendam semper orationem*, *sed summittendam non numquam esse et vim rebus aliquando verborum ipsam humilitatem afferre* exponit. Ceterum vide ne locus noster excusetur prosopopoiia.

17) H(ellmuth) § 81.

18) hanc locutionem et hoc nostro loco et in Verr. III, 94 *ut qui unum equitem Romanum contumelia dignum putasset*, *ab universo ordine malo dignus indicaretur*, idem puto significare ac verberibus, plagis dignum (nos „prügelnswert“), quem vocis malum usum quis est qui nesciat apud comicos pervulgatissimum esse. Quam si huic locutioni sententiam inesse censemus, utroque loco, maxime autem nostro, Tullium haud insulsum cernimus. Unus certe locus ab ulla dubitatione est remotus, quin praebeat talem qualem quaerimus huius vocis significationem, sc. Verr. II, 145 *si omnes imperio, metu, vi, malo adductae pecuniam statuarum nomine contulerunt*, de quo loco vide quae Zumptius adnotat.

19) L(andgraf.) p. 33 et 34.

20) H. p. 34. L. p. 37.

21) Quamquam haec prisca potius quam vulgaris sit formula cf. Wölfflin l. l. p. 140: „*eine ennianische Verbindung*“.

22) H. p. 11. L. p. 36.

23) Sic Klotzius suasore Halmio collato Cat. I, 22 edit, cum corruptelae prioris Vat. manus (*dicit*) et cod. Tegerns. (*didicit*) talem fere formam videntur indicare. Quibus viris equidem assentiar. Sed quocun-

XI, 8 cruciamentum pro pervulgato cruciatu[24]).

XII, 26 actutum = statim cf. L. p. 33, qui idem ex

XIII, 33 verba dare = fallere protulit et ex

XIV, 5 inibi esse: cf. leg. agr. I, 20.

ib. 8 propudium: quod convicium nullo alio Ciceronis loco invenitur: nimirum ex volgari sermone huc manavit, cf. Plaut. Curc. 1, 3, 34. Bacch. 4, 1, 7. Mil. 2, 4, 11.

leg. agr. Ī, 2 disperdere non iniuria tribues sermoni volgari (aut familiari)[25]) itemque

§ 11 olfacere, quod hoc uno in Ciceronis oratt. loco conspicitur, translatam eandem quam hic significationem prae se fert Ter. Ad. III, 3, 43. Petr. Sat. 93.

In hac classe liceat commemorare vicarium quendam usum vv. facere et capere (cf. L. p. 21), qualis conspicitur Phil. V, 53: easque legiones bello confecto missas fieri = mitti s. dimitti. leg. agr. I, 14 tu Rulle — missos enim facio ceteros = mitto s. praetermitto. Phil. XIII, 48 reliquum feceris = reliqueris. V, 35 exordium capere: et cum semel ad capiendi verbum descendimus, animadvertas velim Ph. XI, 37 extr. *et bellum et iusta arma cepimus*, ubi ζεύγματος figura eo levatur, quod simplex capere etiam compositi suscipere partes sustinere potest v. L. l. l.

Iure hunc locum etiam verba Graeca sibi vindicent, ut Phil. II, 30 crapula = κραιπάλη, quae vox praeter hunc locum in Ciceronis oratt. nusquam scripta videtur nisi Verr. III, 28, at apud comicos saepius nobis occurrit.

XIII, 18 archipirata, quod in Cic. oratt. praeterea exstat dom. 24 et sen. 13, sexcenties in Verrinis.

---

que modo se res habet seu hanc lectionem seu quae altera Vaticani manus cum aliis codicibus praebet *quod di dent* probamus, tota haec locutio speciem prae se fert sermonis seu volgaris seu prisci.

24) Nullo alio Ciceronis apparet loco. Procul dubio sermonis est volgaris cf. Plaut. Capt. V, 4, 2. Asin. II, 2, 52, nostro autem loco propterea assumptum, ut annominatio quaedam exsisteret *nec vero graviora sunt carnificum cruciamenta quam interdum tormenta morborum.*

25) In oratt. Ciceron. hoc uno exstat loco, nisi quod disperire, quod passivi partes suscipit leg. agr. II, 80 conspicitur.

XIII, 26 corycus = κώρυκος, v. Halmii adn. crit. Nimirum semel adsumptum.

Sequantur nonnulla, quae non magis volgari quam

II. Familiari sermoni videntur tribuenda.

Huc pertinere puto haec pleonasmi cuiusdam exempla:

Mil. 30 sicut ... ita. Phil. II, 70 nisi si. ib. 107 interea ... dum. imp. Pomp. 13; 23; 51 tametsi — tamen[26]), quibus locis iam ab Hellmuthio congestis (cf. eius dissert. §§ 70. 71. 73) adici potest leg. agr. I, 13 simillime ... atque ut[27]).

Idem Hellmuthius p. 36 nullius pronominis simplicis negationis loco usurpati aliquot exempla ex Ciceronis oratt. protulit: ex nostris orationibus hi loci huc referri possunt:

Phil. VII, 27 auctoritas vestra quam nullam habebitis. X, 22 non enim in spiritu vita est, sed ea nulla est omnino servienti. XIII, 7 otium incolumibus his esse nullum potest. ib. 23 quem tu ordinem omnino esse nullum putas. XIV, 18 de contentione principatus laborat, quae nulla esse debet. ib. 23 supplicatio Cinnae nulla victori[28]).

Familiari cuidam liberiorique dicendi generi fortasse hi duo quoque loci possunt ascribi, qui in Miloniana inveniuntur, nempe

§ 5 *spem nullam esse habituros Milonis inimicos ad eius ... salutem exstinguendam:* quam locutionem 'spem habere ad aliquid' raram esse Halmius ad h. l. docet nec novi equidem locum alium quem cum nostro comparemus quam quem iam Halmius attulit ex ep. ad Att. XV, 20, 2 *tantum spei habent ad vivendum quantum acceperunt ab Antonio.*

et § 63 *multi etiam Catilinam atque illa portenta loquebantur.* Sic substantivum obiecti tenens locum apud loquendi verbum in orationibus quidem nusquam nisi nostro invenitur

26) quam copulationem huc una rettuli nil nisi commoditatem respiciens.

27) coll. iis locis, quos affert Hand. Turs. I, p. 471.

28) Quamquam exempla, ubi hic usus apud esse copulam invenitur, non tam sint insignia; cf. Zumpt gr. lat. § 688.

loco, in epistulis saepius, ut ad Att. IX, 13, 1 *Hi quidem mera scelera loquuntur*. ib. 8 *Dolabella suis litteris merum bellum loquitur*, cf. etiam Krausium l. l. p. 25.

Procul autem dubio in hanc classem deminutiva sunt redigenda: quae quoniam non adeo multa habeo enumerare, statim cum iis adiungam ac promiscue quidem, si qua inveniuntur verba iterativa [29]), composita cum con- praepositione [30]), adiectiva in -bilis terminantia [31]), composita cum per- suffixo [32]). Eiusmodi haec omnino nobis occurrerunt:

Mil. 69 commutabilis [33]).

Phil. II, 41 factitare [34]).

ib. 77 cauponula. ἅπ. εἰρ.

III, 21 sententiola, quod substantivum apud Ciceronem, ut videtur hoc uno exstat loco [35]).

XI, 5 gestare: hoc uno ex oratt. exstat loco nec omnino alius ex Ciceronis scriptis affertur.

ib. 12 nutricula cf. Vat. 4 [36]).

imp. Pomp. 61 peradulescens ἅπ. εἰρ.

ibid. 63 periniquus [37]). Quae cum duo adiectiva singularia cum per- suffixo composita in hac exstent oratione, non improbatur nobis Klotzius, qui § 46 permolestus adiectivum coniciendo protulit, quamquam id in Ciceronis ora-

---

29) cf. Wölfflin. p. 157 sqq.

30) ib. p. 161.

31) Rebling l. l. p. 14.

32) Wölfflin. p. 164.

33) de quo adiectivo Freundius in onomastico suo haec adnotat: „*mehrmals bei Cic., einmal bei Quintil., sonst vielleicht nirgends.*“ In orationibus autem Cicero quoque semel eo utitur, nostro scilicet loco.

34) v. Hellmuth. § 26.

35) Persaepe occurrit haec vox apud Quint., praeterea invenitur apud Gellium et apud Petronium.

36) Apud Horatium haec vox semel usurpatur in epist. I, 4, 8: praeterea afferuntur loci Quint. Iuven., adde Domitium Marsum ap. Suet. gramm. 16 „*Epirota tenellorum nutricula vatum.*“

37) nullus alius ex Cicerone locus praeter nostrum affertur nisi Fam. 12, 18, ex aliis scriptt. unus Firmic. Math. 1, 3.

tionibus nusquam exstat nec aliunde ullus locus a Forcell. affertur nisi ad Att. 1, 18 et Eucher. instruct. 2, 5.

ibid. § 61 concelebrare[38]).

leg. agr. I, 10 pergrandis[39]).

Addam Phil. II, 28 consimilis, de quo adiect. Hellmuthius p. 26 disseruit, quamquam omitti non licet hoc adiectivum saepius apud Caesarem inveniri, ut b. g. II, 11: *fecerunt ut consimilis fugae profectio videretur.* V, 12 *creberrimaque aedificia Gallicis consimilia.* VI, 27 *harum est consimilis capris figura.*

Sic cum semel ad derivationes pervenimus, haud inepte hic subsequantur

III. Substantiva verbalia in -io et in -or terminantia.

Fas nobis sit in haec inquirere duce Quintiliano VIII, 3, 30 sq.: „*Fingere . . . Graecis magis concessum est, qui . . . Nostri autem in iungendo aut in derivando paulum quid ausi vix in hoc satis recipiuntur.*" Et cum mihi persuasissem Caesarem, quamquam apud eum in unaquaque fere pagella talia invenies substantiva, tamen nulla proferre nisi usitatissima, ut ratio, profectio, defectio, commutatio, existimatio, oppugnatio, coniuratio, defensio, defensor similia nec non nimirum ea, quibus vix possit carere quaeve t. t. instar sint habenda, ut populatio, sectio (urbis), pabulatio, aquatio, pabulator, lignator[40]), haud parvi putavi esse momenti, quod Cicero quoque in oratt. p. Lig. et Dei. habb. usitatiora tantum eiusmodi substantiva adhibet, ut ignoratio, oratio (L. 1; 10; 38. D. 5; 6; 34) liberatio, legatio, profectio, remansio[41]),

---

38) H. p. 27. Fortasse etiam ‚*concertavit*‘ § 28 adnotatu dignum est, quod in orationibus nusquam recurrit.

39) praeter hunc locum nusquam in oratt. exstat nisi in Verrinis et leg. agr. II, 56.

40) Meo iure hic inprimis commentarios d. b. Gallico conscriptos respicio: quod in his I, 5, 3 (domum) reditio invenitur, in nostra quaestione nullius est momenti.

41) hoc unum substantivum rarius inveniri videtur (cf. etiam Krausium l. l. p. 7), sed excusatur puto eius usurpatio hoc loco: quid enim

praedicatio, cogitatio (L. 6. D. 7) cognatio, accusatio (L. 11. D. 7; 22) postulatio, secessio, dissensio, ratio (L. 30. D. 27), commendatio, quaestio, contentio, actio, perturbatio, exercitatio, offensio, excusatio, conspiratio, auctio, potio, trepidatio, excursio, existimatio, admiratio, procuratio — accusator (L. 2. D. 2; 7; 31), imperator (D. 11; 22; 36), auctor, suasor, adiutor, victor (D. 33; 41), cum alioquin haud ita caute parceque inauditiora proferat, quod tibi haec probabunt ex aliis oratt. exempla:

a. Subst. in -io term.

Mil. 54 tergiversatio[42]). Phil. 1, 7 transmissio[43]). II, 57 peragratio itinerum, lustratio agrorum[44]). ib. 62 et 100 percursatio[45]). ib. 101 peregrinatio[46]). III, 31 dispersio[47]). V, 11 et XIII, 10 dissipatio[48]). ib. 22 effrenatio ἅπ. εἰρ. VI, 7 procrastinatio[49]).

---

aliud diceret orator in hoc verborum nexu: „*Nam profectio voluntatem habuit non turpem, remansio necessitatem etiam honestam?*"

42) Scriptum videtur apud auct. b. Afric. 8, 4 et Frontin. aquaed. 5 [auct. Forc.].

43) quod alibi legitur ad Att. 4, 17. Ambros. Hexaëm. 5, 10. Cassiod. Var. 2, 24 [a. F.].

44) quorum illud ἅπ. εἰρ. videtur, hoc, quod in oratt. uno nostro loco conspicitur ea significatione qua hic etiam Tusc. V, 27 praeditum est, alibi ut ap. Columellam 2, 22. Liv. 40, 6 expiandi actum significat.

45) videtur ἅπ. εἰρ.

46) nonnumquam apparet in scriptis philosophicis, in epistulis, apud Plin. n. h., in oratt. Cic. hoc uno loco.

47) quod praebent Vat. et Tegerns., quorum codicum consensus utique sit sequendus. Hoc substantivum apud omnes multorum seculorum scriptores frustra quaeres. Non aliter res se habet vel de eo, quod alii praebent codd. 'disperditio' vel de eo, quod coniecit Klotzius 'dispertitio'.

48) Invenitur hoc subst. etiam N. D. I, 71. Rep. II, 4: in Cic. de orat. libr. III, 207 figurae cuiusdam est nomen. Ceterum vix necesse est hic commemorari ex eo, quod in philosophicis Ciceronis scriptis invenitur, effici nondum posse usitatum fuisse tale substantivum Ciceronis aetate, cum ipsa substantivorum verbalium inventio non modo commoda, sed etiam necessaria nonnumquam fuerit de philosophia disserenti.

49) ἅπ. est εἰρ. atque verbum procrastinandi in prioribus tantum Ciceronis oratt. conspicitur.

VII, 17 (legatorum) missio[50]. VIII, 10 promissio[51]. ib. 12 depulsio[52]. X, 20 recuperatio[53]. XI, 5 collocutio[54]. imp. Pomp. 14 pastio ἅπ. εἰρ. ib. 22 collectio[55]. ib. 24 processio[56].

b. Subst. in -or term.

Mil. 35 punitor[57]. ib. 50 occultator et receptor locus[58]. Phil. II, 27 depulsor[59]. ib. 42 et V, 22 compotor[60]. ibid. conlusor[61], quod recurrit § 56 et 101; V, 13.

---

50) utpote subst. verbale simpliciter actum mittendi indicans nusquam praeter nostrum locum invenitur nisi in epistulis Ciceronian. (cf. Krausium l. l. p. 7), adde Vitruv. 3, 9 *extra telorum missionem*. Alioquin est t. t. in re militari, gladiatoria, apud ICtos [a. F.].

51) praeter nostrum locum, qui certe ex oratt. unus est, qui potest afferri, haec vox scripta videtur in epp. ad Att. 8, 9 et fam. 4, 13. Caesarem memini libenter pollicitationis voce uti.

52) in oratt. hoc uno exstat loco: praeterea legitur in scriptis philosophicis et in illis de inventione libris Ciceronis primitiis, usurpatur etiam nonnumquam a Quintiliano.

53) hac qua nostro loco vi praeditum nusquam hoc subst. invenitur nisi apud Iustin. 30, 1 *contentus recuperatione urbium* [a. F.] ICtorum t. t. esse notum est.

54) pro vulgato colloquio alibi nusquam exstat nisi Fam. 1, 9. Att. 12, 1. Cornif. I, 25 [a. F.].

55) exceptis permultis iis locis, ubi est t. t. seu rhetorum (ut et Bruto 302) seu medicorum, hi tantum in lexicis afferuntur loci: Petron. sat. 98. Dig. 9, 2, 27 § 25. Senec. ep. 74 n. 25. Cod. Theod. (bis).

56) apud Ciceronem hoc uno apparet loco: praeterea apud recentissimos demum recurrit scriptores.

57) procul dubio inventum a Cicerone substantivum nec purae linguae probatum. Rursus nobis occurrit ap. Val. Max. bis et apud Augustin. [a. F.].

58) quorum alterum, occultator, est ἅπ. εἰρ., alterum apud Cic. quidem hoc uno invenitur loco, postea probatum est Tacito ann. IV, 23, apud ICtos est t. t., qui idem valet ac noster „Hehler".

59) ἅπ. εἰρ. ut videtur: alioquin in inscriptt. Iovis aut Apollinis apparere Forcell. indicat.

60) aliunde affertur Apul. Met. 2, 31.

61) afferuntur a Forc. etiam hi loci: Suet. Cal. 41. Iuv. 9, 61. Plin. ep. 9, 33.

IV. Ἅπαξ εἰρημένα.

Phil. II, 101 grandifer[62]). ib. 104 perbacchari, quod vocabulum si fides est habenda lexicis nullo alio nisi hoc loco et Claudian. b. Get. 242 conspicitur. VII, 19 prospicientia[63]). XII, 3 pacificatorius. ib. 24 suburbium[64]).

Haec ἅπ. εἰρ. apte excipiant

V. Singulae quaedam voces locutionesque

poeticae, priscae, denique omnes quaecunque quavis ex parte quaesitius quiddam videntur appetere.

Poeticam dictionem stringere mihi videntur haec[65]):

imp. Pomp. 26 bellum quod coniungunt reges potentissimi[66]) = quod coniunctim gerunt.

Mil. 98 centesima lux est haec ab interitu P. Clodii et altera = centesimus et alter dies: quam metonymiam vix apud alium invenies atque apud poëtas, ut Verg. Aen. X, 244 *crastina lux*, Ov. Trist. I, 11, 39 *lux brumalis*, et apud Gellium 19, 9 *lux annua*. Quam ad vocem cum semel pervenimus, haud omittam antiquam locativi formam luci Phil. XII, 25 conspici: alter ex oratt. locus, ubi haec forma exstat, Tull. 47 non ab omni dubitatione remotus est.

Antiquitatem magis redolent Mil. 61: omnem Italiae pubem: quod substantivum hic idem valet ac nostrum „*waffenfähige Jugend*“[67]).

Denique in hac classe liceat haec enumerare: Phil. II,

62) perrarum esse vocabulum Halmius ad h. l. indicat neque alii afferuntur a Forc. loci nisi Naz. Paneg. Constant. 3. Auct. itin. Alex. M. 51.

63) est ἅπ. εἰρ. ut videtur, praeterquam quod ab recentissimis usurpatur scriptoribus ut a Chalcidiis, Ambrosiis [a. F.].

64) hoc vocabulum, quo significantur „frequentes extra urbem domus instar vici urbani aedificatae“ (Forc.) nusquam alibi inveniri videtur.

65) vide etiam infra inter tropos Phil. I, 5.

66) Klotzius in onomastico suo affert ex Sil. 15, 52: *Martem coniungere et duplicare acies*.

67) qua significatione ex omnibus oratt. hoc uno praeditum est loco. Cf. Fest. p. 253, Plaut. Pseud. 123.

30 et 31 homicida[68]. XI, 4 et 26 colligare[69]. XI, 4 et XIII, 21 divexare[70]. Statim adicias XII, 23 discriminare[71]. XIII, 37 discruciare[72]. leg. agr. I, 7 divendere[73]. Phil. XIV, 7 internecivus[74].

Postremo hic addam imp. Pomp. 13 propter esse et 16 propter adsint[75]. 48 obsecundarint: quod verbum hoc uno ex oratt. loco ac certa quidem ratione Tullius adhibuit: *socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint.* Eodem loco simili ratione commotus sc. ὁμοιοτελεύτου causa activam usurpavit formam assenserint, quod verbum alioquin uno excepto loco, Phil. XI, 19 „*si tibi non sit adsensum*" semper mediali forma praeditum apparet, de qua re v. Hellmuth § 21.

Iam qui haec percurrerint spero nonnullos quidem concessuros mihi Tullium nostrum in oratt. p. Lig. et Dei. in eligendis verbis minus sane non dico neglegentem, praesertim cum locos ex or. p. Dei. § 21 et 26 allatos respiciam, at certe minus audacem fuisse: quamquam me non fugit multo plures fore, qui aliter sentiant. Egomet ipse huic capiti non ni-

68) rarum vocabulum, quod alioquin invenitur [a. F.] Iuv. 2, 26. Sen. controv. I, 2. Hor. epod. 17, 12.

69) in oratt. quidem Cic. hi tantum exstant loci: nam p. Rab. 13 in vetusta formula conspicitur „*I lictor, colliga manus*". Praeterea invenitur apud Ter. Plaut. Varr. Cic. ep. ad Fam. nec non or. § 120 et 168.

70) apud Ciceron. in Philippicis tantum, praeterea apud Ennium (Cic. Tusc. I, 44 „*divexarier*") et Plautum: nostro loco fortasse propter allitterationis studium assumptum „*divexare et diripere*".

71) quod verbum apud Ciceronem iterum frustra quaeres. Alibi exstat ap. Sen. in ep., Plinium, Claudian., Varron. R. R. et L. L., Verg. Aen. 11, 145 [a. F.].

72) alibi in oratt. nusquam nisi pro Rosc. Com. 31 legitur, ubi translate dicitur.

73) ἅπ. εἰρ. nisi quod participium divenditus apud Livium et Tacitum apparet.

74) Quod adiectivum pervulgati apud Cicer. perniciosi vocabuli locum tenens satis raro invenitur, in oratt. quidem alibi nusquam nisi dom. 61, ubi sic Graevius id quod Parisinus habet „innocivum" iure mutavit.

75) Forsitan hunc adverbialem praepositionis propter usum sermoni volgari aut familiari tribui malueris; vid. Hellmuth. § 62.

mium tribuo cum aliis de causis, quas v. p. 6 tum maxime, quod id semper erit fatendum Ciceronem hac in parte Asianis magis adversatum esse quam favisse (vide etiam Caesaris de eo iudicium Brut. 72, 253) idque perdifficile est disceptatu, quibus in oratt. id magis, quibus minus effecerit. Aliter res se habet de tropis: hic nequaquam spero difficile fore apparentes differentias quasi oculis cernere, manibus deprehendere. Ac tropi non minus ad elegantiam pertinent quam quae adhuc attigimus: sed cum iidem ad dignitatem spectent orationis, separatam iis concessimus caput.

Cap. II.

De tropis.

Huic capiti vel summam totius dissertationis vim inesse docebit te auctoritas, quam tropis Dionysius tribuit: qui et in unoquoque iudicando oratore illos haud parum respexerit — quid quod exempli causa in Platonem non minima ex parte propter tropicam eius elocutionem invehitur in ep. ad Cn. Pomp. II: *μάλιστα δὲ χειμάζεται περὶ τὴν τροπικὴν φράσιν* e.q.s. — et in Lysia id vel maxime urget prorsus eum tropica dictione abstinuisse, cf. iud. Lys. c. III init.: *τίς δ' ἔστιν αὕτη; ἡ διὰ τῶν κυρίων τε καὶ κοινῶν καὶ ἐν μέσῳ κειμένων ὀνομάτων ἐκφέρουσα τὰ νοούμενα. ἥκιστα γὰρ ἄν τις εὕροι Λυσίαν τροπικῇ φράσει χρησάμενον*: quod quo rectius intellegas iudicium, subiungas illud quod in Spengeli editione rhetorum Graec. I p. 365, 2 sq. (*ἐκ τῶν Λογγίνου*) invenitur: *Ὅτι δεῖ πεφεισμένως χρῆσθαι ταῖς τροπαῖς καὶ μετὰ τέχνης, μὴ παραλείπειν δὲ παντελῶς ... καὶ γὰρ καὶ Λυσίας οὕτω πεποίηκεν.* Ac qui Romae exstiterunt Attici, eos quoque tropis abstinere voluisse docet Quintilianus XII, 10, 23, qui his verbis eos oppugnat: „*quid denique Demosthenes? ... non translationibus nitet?*“ Nec non Asianos nimio tropicae dictionis studio se dedisse est notum [76]).

76) vide inter alia Blassium „Geschichte der griechischen Beredsamkeit in dem Zeitraum von Alexander bis auf Augustus“, Berlin 1865, p. 31 et huius dissert. p. 5, adn. 7.

Ac de tropis quidem iam ipsi te docebunt numeri: quare hanc adieci tabulam, quo facilius singulos numeros in unum locum coactos comparares: cuius tabulae in primo ordine paragraphorum numeri, in secundo troporum, in tertio denique eorundem numeri ad centenas paragraphos relati conspiciuntur:

	§§	num. trop.	$^0/_0$
p. Ligar.:	38	15 (14)	38 (36)
p. Deiot.:	45	12	29
p. Milone:	105	151	150
Philipp. I:	38	24	70
— II:	119	87	80
— III:	39	37	100
— IV:	16	23	140
— V:	53	34	68
— VI:	19	20	100
— VII:	27	18	80
— VIII:	33	30	90
— IX:	17	12	72
— X:	26	42	160
— XI:	39	50	125
— XII:	30	39	120
— XIII:	50	55	110
— XIV:	38	21	60
de imp. Pomp.:	71	34	50
de leg. agr. I:	27	24	95.

Ipsos puto satis diserte loqui numeros, cum in orationibus p. Ligario et Deiotaro habitis 36 et 29 tantum in centenis §§, in ceteris autem orationibus 50, 60, 70, 80, 90, 100, 120, quin etiam 150 et 160 inveniantur tropi: nihil plane habeamus, quod his adiciamus numeris, nisi quod ipsi docent, quod Dionysius de Lysia iudicaverit, idem nos de nostris orationibus posse iudicare.

Attamen nolo nudis te credere numeris, immo vero ipsos contemplemur tropos, qui sint accommodati ad communem dicendi consuetudinem, contra qui audaciores insignioresque quam quibus utatur idiota.

Ac in **Ligariana** quidem hos invenimus tropos [77]:
§ 1. *Novum crimen, C. Caesar, et ante hunc diem non auditum* [78]. § 3 *bellum exarsit.* ibid. *caecus timor.* ibid. *domum spectans* [79]. ibid. *atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium* [80]. § 6 *quanta lux liberalitatis et sapientiae tuae mihi apud te dicenti oboriatur.* § 8 *vel quod laudem adulescentis propinqui existimo etiam ad meum aliquem fructum redundare.* § 9 *Quid enim tuus ille, Tubero, restrictus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum?* ib. *isdem in armis fui.* § 11 *usque ad sanguinem incitari.* § 13 *in nostrum fletum irrumpis.* § 17 *Fatalis quaedam calamitas incidisse videtur et improvidas hominum mentes occupavisse* [81]. § 18 *aut tua quid aliud arma voluerunt.* § 22 *Africam arcem omnium provinciarum.* § 34 *consensus conflatus.*

---

77) Veniam me spero impetraturum, si hoc aut illud exemplum omisi: nam cum in omnibus rebus vel diligentissimus nonnulla neglegit, tum in tropis, quoniam hunc illum iam non sentimus tropum esse, quasi necesse est, licet etiam atque etiam legas, quosdam praetereas. Quod tamen incommodum nullam habere vim ad summam tractationis omnes facile intellegent.

78) Illusionis sive εἰρωνείας exempla inter tropos numeravimus; quod num recte fecerimus nescimus, cum Quintilianus ea simul inter tropos et inter figuras sententiarum referat IX, 2, 44: „Igitur εἰρωνεία quae est schema, ab illa, quae est tropos, genere ipso nihil admodum distat; in utroque enim contrarium ei quod dicitur, intellegendum est e.q.s.“, sed vide Volkmannum etiam in libro cui inscribitur: „Rhetorik der Griechen und Römer“ 1874² p. 427. Ipsum quod hoc loco attulimus exemplum affert inter figuras sententiarum Aquila Romanus § 7, de quo vide Halmii adnotat. ad nostrum locum.

79) Si quidem hic locus iure tropis inseritur, id quod valde addubito, mehercle in eorum numero est habendus, qui „docendi causa sumpti, non ludendi videntur“.

80) Huc hunc locum utpote ἀντιφράσεως exemplum retuli Tryphonis (ap. Sp. III, 204, 3) secutus definitionem exemplaque, quae ille ex Homero profert, sc. O 11: ἐπεὶ οὔ μιν ἀφουρότατος βάλ' Ἀλαιῶν, et A 330: οὐδ' ἄρα τώ γε ἰδὼν γήθησεν Ἀχιλλεύς.

81) Cuius exempli rationem non habere fas nobis esse duximus, cum nobis quidem persuaserit Halmius ipsa esse Caesaris verba, quibus hic utitur orator: vide Halmii adn. ad h. l.

In oratione pro **Deiotaro hab. haec exempla:**

§ 8 *fore putabant, ut in exulcerato animo facile fictum crimen insideret.* § 14 *,suis tectis'* ait pro suis domiciliis. § 15 *omnium gentium atque omnis memoriae clarissimum lumen exstinguere.* § 19 *an Deiotarus re illo tempore non perfecta continuo dimisit exercitum* (scilicet servos insidiatores)? § 22 *in speculis fuisse semper.* § 26 *vino se obruisse.* § 29 *ardebat studio.* § 30 *rex enim Deiotarus vestram familiam abiectam et obscuram e tenebris in lucem evocavit.* § 32 *domesticaque immanitate nostrae civitatis humanitatem inquinares.* § 33 *et* 34 duo illusionis exempla. § 37 *Senatus vero iudicia de illo ... honorifica ... quae unquam vetustas obruet.*

Ex ceteris orationibus non omnes nimirum tropos in contentionem vocare possumus, sed nonnullos tantum ex unaquaque oratione electos, ut ita dicam, antesignanos, quorum quin numerus facile possit augeri neminem spero fore qui dubitet.

Compara igitur ex **Miloniana** haec:

§ 2 *tamen ne non timere quidem sine aliquo timore possimus* (oxymoron). § 3 *quos P. Clodii furor rapinis et incendiis et omnibus exitiis publicis pavit.* § 5 *Equidem ceteras tempestates et procellas in illis dumtaxat fluctibus contionum semper putavi Miloni esse subeundas* (allegoria). § 12 *huius ambusti tribuni illae intermortuae conciones.* § 18 *nunc eisdem Appiae nomen quantas tragoedias excitat.* § 32 *fortasse vix possent frangere hominis sceleratissimi corroboratam iam vetustate audaciam.* § 33 *vestrae peregrinantur aures.* ib. *si leges nominandae sunt ac non faces urbis, pestes reipublicae.* ib. *,movet me lumen curiae':* ad quae Asconius adnotat: ,Hoc est Sex. Clodius, quem in argumento huius orationis diximus corpus Clodii in curiam attulisse et ibi cremasse eoque incenso curiam conflagrasse; ideo lumen curiae dixit.' ibid. *,cruentum cadaver ... infelicissimis lignis semustilatum nocturnis canibus dilaniandum reliquisti':* animadverte in his coniunctionem complurium troporum, epitheti in ,infelicissimis lignis' et duplicis hyperboles in ,semustilatum'[82]) et in

82) ,Von einer solchen halben Verbrennung weiss jedoch Asconius

,nocturnis canibus (in quibus iterum epitheton) dilaniandum'[83]). § 40 *illam beluam iudicii laqueos declinantem iam irretitum teneret.* § 45 *insanissima contio.* § 50 ,*muta solitudo*' et ,*caeca nox*'. § 53 ,*insanas illas substructiones*': quod affertur a Quintiliano VIII, 6, 41 exemplum appositi translatione exornati. § 59 ,*proxime deos accessit* (Clodius) *propius quam tum cum ad ipsos penetraret*': acerbissimus σαρκασμός cf. Phil. II, 111. § 68 ,*Sed quis non intellegit omnes tibi rei publicae partes aegras et labantes, ut eas his armis sanares et confirmares, esse commissas?*' § 70 ,*quo uno versiculo satis armati semper consules fuerunt etiam nullis armis datis*' (oxymoron). § 76 *effrenatas libidines*' v. s. § 86 ,*mortem eius lacerari.*' § 90 ,*ut eam mortuus incenderet.*' § 97 ,*ut absentes adessemus, mortui viveremus* (oxymora).' § 98 ,*cum omnes a meis inimicis invidiae meae faces subiciantur.*'

Ex Philipp. I.

Inprimis animadvertas quaeso poëticum illud oxymoron in § 5: ,*insepultam sepulturam*', quod imitatur Graecum illud ,*ἄταφος τάφος*'[84]). Vide Volkmannum l. l. p. 371 ,Wirkliche Oxymora . . . finden sich häufig bei Dichtern . . . In rednerischer Prosa sind sie sehr selten.' Huc etiam pertinent § 13: ,*inexpiabiles religiones*'. § 20: ,*o contumeliosum honorem.*' Praeterea ex hac oratione proferam § 5 ,*nam cum serperet in urbem infinitum malum idque manaret in dies latius.*' § 36 ,*o beatos illos, qui, cum adesse . . . ipsis non licebat, aderant tamen et in medullis populi Romani ac visceribus haerebant.*'

Ex Philipp. II.

§ 17 ,*Voce paene litterarum coacti.*' § 33 ,*qui locus est aut tam desertus aut tam inhumanus, qui illos cum accesserint non adferi atque appetere videatur.*' § 34 ,*et si meus stilus*[85]) *ille fuisset, ut dicitur, mihi crede, non solum unum*

(arg. § 8) nichts; sie ist wohl nur Erfindung des Redners, um die folgende Schmähung noch anzubringen.' (Halm.).

83) vide Halmii adn.

84) cf. Halm.

85) Animadvertendum quoque quam sit anceps vis huius substantivi.

actum, sed totam fabulam confecissem.' § 48 ‚*intimus erat in tribunatu Clodio . . . eius omnium incendiorum fax.*' § 63 ‚*robustior improbitas*' (memorabile sane epitheton, v. s.). § 86 *haec te, si ullam partem habes sensus, lacerat, haec cruentat oratio.* § 95 ‚*absenti adfui*' (oxymoron). § 106 ‚*Mustelam et Laconem, quorum alter gladiorum est princeps, alter poculorum.* § 111 ‚*disertissimum cognovi avum tuum, ut te etiam apertiorem in dicendo*' mordet, ut ita dicam, hic σαρκασμός. Statim enim explicat Tullius ‚ille nunquam nudus est concionatus, tuum hominis simplicis pectus vidimus.' § 113 ‚*Etenim . . . tua . . . coniux . . . nimium diu debet populo Romano tertiam pensionem* (sc. mortem Antoni).

Maxime sunt in hac oratione memorabilia ὑπερβολῆς exempla, ut § 30: ‚*Edormi crapulam, inquam, et exala. An faces admovendae sunt, quae excitant tantae causae indormientem?*' Hic hyperbole hyperbolen excipit. Huius rei significantius etiam exemplum scriptum videmus § 67: ‚*Quae Charybdis tam vorax? Charybdim dico? quae si fuit, unum animal fuit: Oceanus, me dius Fidius, vix videtur tot res . . . tam cito absorbere potuisse*[86]).' § 63: ‚*is vomens frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum et totum tribunal implevit*[87]).

Ex Philipp. III.

§ 2 *breve tempus longum est imparatis* (oxymoron). § 4 *quorum ante pedes eius morientium sanguine os uxoris respersum esse constabat* (hyperb.). § 18 *quem ego et frater meus . . . certatim amamus omnibusque horis oculis, auribus, complexu tenemus.* ibid. *illam pulcherrimi facti memoriam refricat.* § 28 *in possessione libertatis pedem ponimus.* § 33 *M. Antonii scelerata arma.*

Ex Philipp. IV.

§ 9 ‚*spes obcaecat animos.*' ibid. ‚*quos non donatio . . . non illa infinita hasta satiavit.*' § 12 ‚*cum immani taetraque belua, quae quoniam in foveam incidit, obruatur.*' § 13 *virtus est una altissimis defixa radicibus.*

---

86) cf. Quint. VIII, 6, 70.

87) Quint. VIII, 6, 68.

Ex Philipp. V.

§ 11 *,Calebant in interiore aedium parte totius reipublicae nundinae.'* § 20 *in me absentem orationem ex ore impurissimo evomuit.'* ibid. *cum autem semel gladium scelere imbuisset.* § 37 *in omnibus consiliis praeceps et devius.* ibid. *non solum cum exercitu suo, sed etiam cum omni immanitate barbariae bellum inferre nobis.* ibid. *ut eius furorem ne Alpium quidem muro cohibere possemus.* § 50 *cupiditatem dominandi praecipitem et lubricam.*

Ex Philipp. VI.

§ 11 *iam fert in oculis* (sc. Trebellium). § 14 *iacent beneficia Nuculae: friget patronus Antonius.* § 17 *paucorum molestiam devorate.*

Ex Philipp. VII.

§ 2 *senatum dolent ad auctoritatis pristinae spem revirescere.* § 5 *ut omnes vigilias . . . in rei publicae salute defigeret.* § 8 *,Quoniam periculosissimum locum silentio sum praetervectus'* (allegoria sumpta a re nautica). § 19 *pacis nomine bellum involutum reformido.* § 21 *ne coagmentari quidem posse pacem.* § 27 *taetram et pestiferam beluam ne inclusam et constrictam dimittatis cavete.*

Ex Philipp. VIII.

§ 10 *Antonii igitur promissa cruenta.* § 15 *sic in rei publicae corpore, ut totum salvum sit, quidquid est pestiferum, amputetur.* § 20 *tormentis Mutinam verberavit.* ibid. *ne punctum quidem temporis . . . oppugnatio respiravit.* § 23 *senatus enim faciem secum attulerat.* § 26 *centuriones pugnaces et lacertosos.*

Ex Philipp. X.

§ 8 *O spectaculum illud . . . undis ipsis et litoribus luctuosum.* § 9 *esset vel receptaculum pulso Antonio vel agger oppugnandae Italiae Graecia.* ibid. *Graecia tendit dexteram Italiae.* § 11 *retinentes extrusimus.* § 18 *servitutis vincula rumpere.* § 21 *Concurritur undique ad commune incendium restinguendum.*

Ex Philipp. XI.

§ 1 *scelerata arma.* § 2 *ecce tibi geminum in scelere par.*

§ 4 *ad praesentem pastum mendicitatis suae.* § 5 *cum optimum virum incesto ore lacerasset.* § 7 *cum animum satiare non posset, oculos paverit suos.* § 10 *sorbere animo ... haurire cogitatione ... sanguinem ... bibere.* § 11 *sexta palma urbana etiam in gladiatore difficilis.* § 13 *qui* (sc. P. Decius) *maiorum exempla persequens pro alieno aere se devovit.* § 14 *quem ultae videntur Furiae debitorum.* § 36 *an cetera ex eodem latrocinio naufragia colligam?*

Ex Philipp. XII.

§ 2 *quorum in vultu habitant oculi mei.* § 3 *praestrinxerat aciem animi*[88]. § 5 *discussa est illa caligo ... diluxit.* § 8 *legionum nervos incidimus.* ibid. *excident gladii: fluent arma de manibus.* § 9 *eadem* (sc. Gallia) *crudelitati M. Antoni suum totum corpus obicit.* § 19 *qui ex naufragio luculenti patrimonii ad haec Antoniana saxa proiectus est.* § 23 *quibus in locis num sit Lentonis ... septemviralis auctoritas.* § 26 *effrenata violentia.* ibid. *Cuius acerbitas morum ... ne vino quidem permixta temperari solet.*

Ex Philipp. XIII.

§ 3 *illa naufragia Caesaris amicorum.* § 5 *Hi in oculis haerebunt et, cum licebit, in faucibus.* ibid. *quibus enim saeptis tam immanes beluas continebimus?* § 9 *qua pace Cn. Pompei filium respublica adspiciet suoque sinu complexuque recipiet.* § 18 *in sinu ... uxoris delectos ... centuriones trucidavit.* § 20 *totius belli fluctibus circumiri.* ibid. *illi exsultanti tamquam frenos furoris iniecit.* § 33 *praesens tibi et ipse et ille, quem insimulas, pugio respondebit.* § 35 *non Dolabella prius imperatori suo quam Antonius etiam collegae suae parentasset.* § 40 *quem ego inustum verissimis maledictorum notis tradam hominum memoriae sempiternae.* § 48 *oriens incendium qui restinguerent.* ib. *nunc in tantam flammam tamque inveteratam mittamus?*

Ex Philipp. XIV.

§ 6 *nisi mucrones etiam nostrorum militum tremere vultis*

---

88) Curio ad hunc locum comparare nos iubet Plautinum illud:
‚Curate ut splendor sit meo clypeo
... ut praestringat oculorum aciem in acie hostibus.‘

dubitantes, utrum in cive an in hoste figantur. § 7 *non inustae belli internecivi notae.* § 19 *invigilasse reipublicae.* § 25 *Antoni immanem et foedam crudelitatem non solum a iugulis nostris, sed etiam a membris et visceribus avertit.* § 34 *atque utinam his omnibus abstergere fletum sententiis nostris . . . possemus.*

Ex orat. de imper. Cn. Pomp. hab.

§ 7 *Delenda est vobis illa macula . . . quae penitus iam insedit ac nimis inveteravit in populi Romani nomine.* ibid. *ut se non Ponti neque Cappadociae latebris occultare velit, sed emergere ex patrio regno atque . . . in Asiae luce versari.* § 19 *ruere illa non possunt, ut haec non eodem labefacta motu concidant.* § 30 *bellum est . . . sepultum.* § 32 *propugnaculis imperii* (i. e. classibus) *sociorum fortunas, non sua tecta defendere.* § 34 *Quam celeriter Cn. Pompeio duce tanti belli impetus navigavit?* § 36 *Sed multae sunt artes eximiae huius administrae comitesque virtutes.* § 66 *Quae civitas est in Asia, quae . . . unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit?*

Ex orat. de leg. agr. hab. I.

§ 1 *quae res aperte petebatur, ea nunc occulte cuniculis oppugnatur.* § 6 *His insignibus atque infulis imperii venditis.* § 11 *nummus . . . quem non architecti huiusce legis olfecerint?* § 15 *aut invidiae aut pestilentiae possessoribus* (pro agrorum aut invidiosorum aut pestiferorum possessoribus). § 16 *ne urbem hac urbe alia premere et urgere possitis.* § 21 *horreum belli, sub signo claustrisque reipublicae positum vectigal.* § 24 *cum . . . vox et auctoritas consulis repente in tantis tenebris illuxerit.* § 27 *Quod si qui vestrum spe ducitur se posse turbulenta ratione honori velificari suo* (translatio sumpta a re nautica). — —

Si hoc troporum florilegium cum iis compararis tropis, qui in oratt. p. Ligario et p. Deiotaro habb. inveniuntur, non poteris facere, quin quod initio huius capitis solis freti numeris tulimus iudicium, recte id constitutum fuisse concedas. Nullum fere in Ligariana vel in or. p. Deiot. invenies exemplum, quod eorum, quae ex ceteris attulimus ora-

tionibus, sustinere posset contentionem. Nec necessarium ducimus plura his adicere. Nisi forte eo offenderis, quod omnino inveniuntur in nostris orationibus tropi. Sed satis hoc praecautum ducimus illo Longini iudicio, quod supra commemoravimus. Et ipse Cicero in or. 81 oratorem tenuem non omnino vetat tropis uti, cum dicat *‚sit . . . in transferendis verecundus‘*, immo vero quibusdam quasi iubet translationibus uti: *‚translatione* (i. e. *μεταφορᾷ*) *fortasse crebrior, qua frequentissime sermo omnis utitur non modo urbanorum, sed etiam rusticorum.‘* Id tantum dicit (§ 85), *utatur . . . tralationibus quam mollissumis.‘* Et mollissimas quidem eas translationes esse, quas ex Ligariana et pro Deiot. hab. oratione congessimus, facile ab omnibus nobis concedetur. Quin etiam pleraeque sunt eiusmodi, ut si Cicero iis non usus esset, a cotidiana urbani sermonis consuetudine, qui et ipse quodam utitur ornatu, recessurus fuerit: de quibus aliqua ex parte idem potest dici, quod Quintil. VIII, 6, 6 de quibusdam translationibus rusticis dicit: *‚necessitate rustici ‘gemmam’ in vitibus — quid enim dicerent aliud? — et ‘sitire segetes’.‘* Huc pertinere puto illa ‚bellum exarsit‘ [89] (Lig. 2), ‚etiam ad meum aliquem fructum redundare‘ (Lig. 8) [90], ‚isdem in armis fui‘ (Lig. 9) [91], ‚usque ad sanguinem incitari‘ (Lig. 11), ‚suis tectis‘ (Dei. 14) [92], ‚omnium gentium lumen exstinguere‘ (ib. 15), ‚vino se obruisse‘ (ib. 26), ‚ardebat studio‘ (ib. 29) [93], ‚humanitatem inquinares‘ (ib. 32), ‚vetustas ob-

89) cf. bellum conflari Hirt. b. g. VIII, 6 et b. alex. 1. v. etiam adn. 93.

90) cf. Hirt. b. alex. 60, 2 ‚quod et victoris et victi detrimentum ad eundem Caesarem esset redundaturum.

91) Quam facile fuerit oratori hanc formare locutionem docebit te pervulgatissimum illud ‚in armis esse‘ Caes. b. g. VI, 2, VII, 32; cf. etiam Hirt. b. g. VIII, 45 extr. ‚solusque ex Haeduis (Surus) permanserat in armis.‘

92) cf. Caes. b. g. I, 36 invicti Germani . . . qui inter annos XIV tectum non subissent VII, 66 sanctissimo iureiurando confirmari oportere, ne tecto recipiatur.

93) cf. Caes. b. c. III, 174 arderent cupiditate III, 88 studio pugnae ardentibus b. g. V, 39 ardere Galliam tot contumeliis acceptis V, 4 multo gravius hoc dolore exarsit.

ruet‘ (ib. 37) [vid. etiam supr. adn. 79 p. 19]. Unum forsitan restet locus, qui insignioris prae se ferre videatur translationis speciem, ex Ligarianae ille paragrapho 9, ubi etiam Quintilianus audacem in ‚sensu armorum‘ translationem animadvertit. Sed hunc quoque tropum benigne me monuit Wilamowitzius eo mollissimum fieri, quod sensim ac paulatim ad eum ascendimus: nam in illo ‚quid tuus gladius agebat‘[94]) plane nihil, in illo ‚cuius latus ille mucro petebat‘, paulum admodum sentimus quasi vitam et spiritum armis adiudicari: sic iam non inopinantes opprimimur illo ‚qui sensus erat armorum tuorum‘, quippe quod nihil aliud significet ac verba praecedentia.

His expositis si quae duobus his primis capitibus effecimus, complectimur, iam nemini erit dubium, quin Cicero in nostris orationibus utique ab ea, quam alioquin adamarit, elocutione recesserit eamque ad sane tenuem quendam modum revocaverit.

Cap. III.

De figuris.

1. **De prosopopoiia.** Cum Cicero l. l. tenui oratori, ut ceteris sententiarum figuris modice utatur, concedat, prosopopoiiam non vult ab illo adhiberi haec dicens: ‚*non faciet rempublicam loquentem nec ab inferis mortuos excitabit.*‘ Sed ex ipsis his verbis facile colliges eum non omnia ea respicere exempla, quae prosopopoiiae nomine rhetores solebant complecti, ubi aliis personis aptas nostrae causae et cogitationes et orationes supponimus, sed ea tantum, ubi inanimas res aut personas humanae vocis expertes, ut deos, inferos loquentes fingimus. Huiusmodi exempla in nostris non exstare orationibus vix debet commemorari, cum omnino apud Ciceronem perraro tantum tales inveniantur prosopopoiiae, ut ex iis, quas in contentionem vocare solemus orationibus, unum exemplum possimus proferre, quod conspicitur Philipp. XIII, 6,

94) non magis in illo ‚aut tua quid aliud arma voluerunt‘.

ubi sapientiam orator his facit loquentem: ‚*Sin responderit, 'tu vero ita vitam corpusque servato, ita fortunas, ita rem familiarem, ut haec libertate posteriora ducas itaque his uti velis, si libera re publica possis, nec pro his libertatem, sed pro libertate haec proicias tamquam pignora iniuriae' tum sapientiae vocem audire videar eique uti deo pareum.*‘

2. **De repetitionibus**[95]**, conduplicationibus**[96]**, conversionibus**[97]**, complexionibus**[98]. *Ἐπαναφορᾶς* s. repetitionis usum Ciceronem quadam quidem ex parte oratori tenui abiudicare Berbigius l. s. l.[99]) putat haec respiciens verba ‚*itemque si quae verborum iterationes contentionem aliquam et clamorem requirent, erunt ab hac summission eorationis alienae*‘. Cui interpretationi non assentior. Ac primum quidem offendebat me vox ‚iterationes‘: epanaphorae enim si quod exstabat apud Latinos certum nomen, non erat iteratio, sed repetitio, quo nomine cum Cornificius IV, 13, 19 utitur, tum ipse Cicero de orat. III, 206: ‚*eiusdem verbi crebra tum a primo repetitio, tum in extremum conversio.*‘ Contra ‚iterationis‘ vocabulo Cornificius utitur in definitione conduplicationis IV, 28, 38: ‚Conduplicatio est cum ratione amplificationis aut miserationis eiusdem unius aut plurium verborum ‚iteratio‘. Sed ne multa, in ipso Ciceronis oratore exstat locus, qui totam hanc quaestionem sic decernat, ut ne tantulum quidem in animis nostris relinquatur dubitationis: nam § 135 haec leguntur verba: ‚cum aut duplicantur iteranturque verba aut ab eodem verbo ducitur saepius oratio‘: qui locus non solum, quo modo Cicero nostro quoque loco significaturus fuisset *ἐπαναφοράν*, sed etiam quid ibi voluerit subaudiri, conduplicationem[100]) scilicet, satis dilucide nobis demonstrat.

---

95) sive ἐπαναφοραί.

96) sive ἀναδιπλώσεις s. ἐπαναλήψεις sive παλλιλογίαι.

97) sive ἀντιστροφαί.

98) sive συμπλοκαί.

99) vide etiam Volkmanni librum s. l. p. 457.

100) nisi forte verisimilius est Ciceronem nostro loco omnes has figuras, et repetitiones et conduplicationes et conversiones complexionesque voluisse una locutione complecti.

Huius figurae in Ligariana unum hoc exstat exemplum non ita vehemens: § 15 *per te, per te, inquam,* in orat. p. Dei. h. unum leve § 12: *,ignosce, ignosce Caesar'*, sed et vehementius unum § 8: *,Per dexteram istam te oro, quam regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti, istam, inquam, dexteram'* [101]). Modice hac figura in nostris orationibus oratorem usum esse facile concedemus, si Milonianam compararimus, ubi haec exstant exempla: § 21 *,non fuit ea causa, iudices, profecto non fuit'* [101]). § 33 *,Exhibe, quaeso, Sexte Clodi, exhibe librarium* [101]). § 37 *,vidi enim, vidi.'* § 69 *,erit, erit ille profecto dies.'* § 70 *,satis iudicatum est a Pompeio, satis'* [101]). § 72 *,Occidi, occidi'*. [§ 79 *si ipse Cn. Pompeius . . . si is, inquam* [101])]. § 80 *,confiteretur, confiteretur, inquam.'* § 85 *,Vos enim iam, Albani tumuli ,vos, inquam.'* ibid. *,vestrae tum, vestrae religiones.'* ibid. *,vobis illae, vobis.'* § 86 *,ante ipsum sacrarium Bonae Deae . . . ante ipsum, inquam Bonam Deam.'* § 91 *,Excitate, Excitate.'* § 93 *,Valeant, inquit, valeant.'* § 94 *,illi, illi, inquit, tui.'* § 95 *,Negat enim, negat.'* § 101 *,vos, vos appello.'* § 103 *,Utinam di immortales fecissent (pace tua, patria, dixerim), utinam.'* § 104 *,Minime, minime inquit.'* — Quin etiam triplicem iterationem uno loco conspicimus, sc. § 67: *,sed tuas, Cn. Pompei — te enim iam appello et ea voce, ut me exaudire possis — tuas, tuas, inquam'* e.q.s. Cuiusmodi iterationis equidem non habeo aliud exemplum, nisi forte comparas Phil. II, 112: *Hunc unum diem, unum inquam hodiernum diem, hoc punctum temporis, quo loquor* [102]). Qua ex eadem oratione Phil. II haec afferamus huius figurae exempla insignora: § 64 *,Bona subiecta Cn. Pompei — miserum me! consumptis enim lacrimis tamen infixus haeret animo dolor — bona, inquam Cn. Pompei Magni.* § 90 *,Tua illa*

---

101) cf. Quint. IX, 3, 29: *Similis geminationis post aliquem interiectionem repetitio est, sed paulo etiam vehementior.*

102) omnino huc pertinere hoc exemplum docebit te locus iam laudatus or. 135: *,cum aut duplicantur iteranturque verba aut leviter commutata ponuntur'* collato illo de orat. III, 206: *,et geminatio verborum habet interdum vim . . . et paullum immutatum verbum atque deflexum.'*

pulchra laudatio, tua miseratio, tua cohortatio, tu, tu inquam.‘ Denique ex Phil. V, 33 commemoremus exemplum, quod nostras quidem aures repentina et inopinata, ut ita dicam, geminatione offendit: *cum hoc patres conscripti, bello, bello, inquam, decertandum est.*

Sed ne epanaphora quidem in orationibus pro Ligario et Deiotaro habb. Tullius sic utitur, ut ab illa summissione orationis recedat: nimirum hic quoque ea tantum exempla sint respicienda, quae ‚contentionem aliquam et clamorem requirent‘. Qualia sint puto: Phil. XI, 10 *Neque nunc fortasse alienus ab eo essem, nisi ille nobis, nisi moenibus patriae, nisi huic urbi, nisi dis penatibus, nisi aris et focis . . . nisi denique naturae . . . inventus esset inimicus.* Mil. 38 *potuitne — potuitne — potuitne — potuitne — potuitne.* 67 *Si Milonem times, si hunc . . . putas, si Italiae delectus — si haec arma, si Capitolinae cohortes, si excubiae, si vigiliae, si delecta iuventus.* 72/73 *eum, cuius — eum, quem — eum qui civem, quem . . . quem . . . quem — eum, qui — eum, qui — eum, cui — eum denique cui iam nulla lex erat, nullum civile ius, nulli possessionum termini* e.q.s. D. imp. Pomp. 30 *Testis est Italia — Testis est Sicilia — Testis est Africa — Testis est Gallia — Testis est Hispania — Testis est iterum et saepius Italia.* Denique p. Rosc. Am. 13 *Accusant ii, qui . . . causam dicit is, cui — accusant ii, quibus . . . causam dicit is, cui — accusant ii, qui . . . causam dicit is, qui — denique accusant ii, quos . . . causam dicit is, qui*[103]).

Quibus cum exemplis ex nostris orationibus singula tantum possis comparare: dico ex or. p. Dei. hab. § 15 *cuius tanti sceleris fuerit — cuius tantae ferocitatis — cuius tam inhumani et ingrati animi — . . . ut haec omittam, cuius tanti furoris . . .* et suavissimum illum ex Ligariana locum § 33: ‚*Si fraterne, si pie, si cum dolore faciunt, moveant te*

103) Nimirum alia haud pauca eius generis ex nostris orationibus possint afferri. Cf. etiam insignem illam epanaphoram Brut. 322, ubi decies eadem verba repetuntur ‚*nemo, qui — nemo, qui — nemo, qui — nemo, qui — nemo, qui — nemo, qui — nemo, qui — nemo, qui — nemo, qui — nemo, qui*‘ et exempla, quae affert Cornif. l. l.

horum lacrimae, moveat pietas, moveat germanitas, quo quidem loco oratori fas sit vehementer commovere audientium affectus: nam et epilogi est locus et totius deprecationis summa in his verbis nititur[104]).

Quae quasi contraria epanaphorae est, ἀπιστροφὴν s. conversionem hoc loco attingere, haud extra rem ducimus: quae figura illustrius quiddam habet atque artificiosius. Quare in nostris quidem orationibus frustra quaeres exemplum. Contra in Phil. I hoc habes exemplum insigne § 24 ‚*De exsilio reducti a mortuo, civitas data non solum singulis, sed nationibus et provinciis universis a mortuo, immunitatibus infinitis vectigalia sublata a mortuo*, in Phil. II, 55 hoc: *Doletis exercitus populi Romani interfectos: interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives: eos quoque nobis eripuit Antonius. Auctoritas huius ordinis adflicta est: adflixit Antonius. Omnia denique, quae postea vidimus . . . uni accepta referemus Antonio.*‘ Confer etiam leg. agr. I, 14: ‚*emes quod voles, vendes, quod voles, utrumque horum facies quanti voles.*‘ Permultis huius figurae exemplis excellit Phil. VIII: 3. — *valent — valent.* ib. — *possit — possit.* 4. — *tolletur — tolletur.* 17. — *possum — possum.* ib. — *Antonius — Antoni.* Alia leguntur exempla: Mil. 26. Phil. II, 96. III, 9. 33. IX, 14. X, 4. 18. XI, 37. XIII, 8.

104) Omnino in Ligariana hae exstant epanaphorae: 2. *qua — qua.* 6. *vide quam — vide quam.* 7. *qui — qui — qui — a quo — qui.* 11. *ne — ne — ne — ne.* ibid. *num — num.* 12. *novi — novi — novi.* 14. *cave — cave.* 15. *quam multi — quam multi.* 17. *alii — alii.* ib. *qui — qui.* 18. *fuerint — fuerint — fuerint.* ib. *liceat — liceat.* 27. *non . . . ne — non . . . ne — non . . . ne.* 33. *quam — quam — quam.* ib. v. s. ib. *hunc — hanc — hunc.* ib. *his — hos — his.* 35. *quoniam — quoniam.* In orat. p. Deiotaro hab. hae: 3. *cum — cum.* 5. *dico — dico.* ib. *in tuis — in tuo — te unum — ad te unum.* 8. *tu — tu — te — te.* 11. *nihil — nihil — nihil.* 12. *quantum — quanta — quanti — quanti — quanti.* 14. *ille — ille — ille — ille — ille.* 15. v. s. ib. *omnes — omnes — omnes — omnes — omnia.* ib. *cum — cum — cum — cum.* 16. *quis — quis — quis.* ib. *nota — noti — nota.* 17. *en — en.* 18. *de — de — de.* 20. *num — num — num quid nisi — nisi — nisi.* 30. *non — non — non.* ib. *nulli — nullae — nulla.* 32. *nonne — nonne — nonne.* ib. *tam — tam — tam.* 36. *nullum — nullum.*

Artificiosioris etiam figurae, complexionis, quae coniungit repetitionem et conversionem, exemplum nullum inesse in nostris orationibus fere supervacaneum videatur commemorare, cum in omnibus, quas adferre solemus, orationibus unum invenerimus exemplum, Mil. 59: ‚*Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius. Unde? ab Appio.*‘

3. **De contrapositis s.** ἀντιθέτοις, **annominationibus s.** παρονομασίαις, **de** ὁμοιοτελεύτοις. Haud exigui esse momenti harum figurarum contemplationem nemo sit qui neget: praesertim cum Dionysius Hal. saepius in has figuras, quae Γοργίειαι feruntur, invehatur ut θεατρικὰς et μειρακιώδεις ut in ep. ad Am. II, c. 2 et c. 17, de vi Dem. c. 18 nec vix facere possimus, quin Asianos quoque iis esse gavisos putemus, cum idem Dionysius in prooemio de vett. oratt. libri c. 1 Asiaticam dictionem ἀφόρητον ἀναίδειαν θεατρικὴν[105]) appellet. Et Hegesias Hegesianactesque scimus ἀντίθετα certe vel παρονομασίας frequentasse, nempe ex fragmentis ab Agatharchide servatis, ubi talia exstant: ὀρῶσαι τὴν πρότερον οὖσαν οὐκέτ' οὖσαν. — Δεινὸν τὴν χώραν ἄσπορον εἶναι τὸν τοὺς Σπαρτοὺς τεκοῦσαν. — Τίς δ' ἂν δύναιτο ποιῆσαι τὴν Κύρου δόσιν ἄκυρον; — Τόπον δὲ πῶς γένοιτ' ἂν ἄβατος βάτου περικειμένου; Alterum id erat, quod frigidissimam reddere orationem Agatharchides iis obiecit, qui haec quoque memoratu digna de Hegesia animadvertit: ‚Ὁ δὲ φήσας δεινὸν εἶναι τὴν γῆν ἄσπορον γενέσθαι τὴν τοὺς Σπαρτοὺς τεκοῦσαν ἐκ τῶν ὀνομάτων τὴν ἐναντίωσιν εἴληφεν, οὐκ ἐκ τοῦ πράγματος.‘ Posteriores quoque Asianos talia adamasse per se patere puto. De quibus Cicero Brut. 325 disserit, parum, quantum equidem video, perspicue[106]): attamen nostram credo iuvare sententiam, quod Ci-

105) quamquam me non fugit in his vocibus θεατρική καὶ ἀνάγωγος generaliorem quoque inesse notionem, ut etiam in iud. de Thuc. p. 813 R. ἐπιτιμήσεις dicuntur ἔχουσαί τι θεατρικὸν καὶ τῶν πολλῶν ἀναγωγόν, de quo loco vide Reiskii adnot. Sed vide etiam Ern. lex. techn. Graec. rhet. p. 154.

106) vide inter alia, quam ancipiti significatione vocabulum sententiae usurpet: priori enim loco quid significet demonstrat illud ‚*sententio-*

cero alterum genus Asiaticum dicit ‚*sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis quam concinnis et venustis, qualis in historia Timaeus*‘ [107]), ubi vox sententiae (itemque venustum) non solum idem valeat ac Graeca *γνῶμαι*, sed ampliore quadam praedita sit vi [108]). Sed utut haec se res habet, Cicero l. s. l. has figuras tenui oratori fugiendas esse censet.

Atque exordium quidem capiamus a contrapositis. Sed hic primum exponere necesse esse videtur, quae exempla hoc nomine velimus complecti. Sunt enim nativa quaedam, ut ita dicam, contraposita, talia qualia iam ante Gorgiam veteres oratores usos esse quis est qui neget? Haec hic non respici non mirabere: cum et ipsum Ciceronem possis videre non omnia illa, sed coniuncta tantum cum concinnitate quadam adhiberi vetantem ab oratore tenui [109]). Ergo etiam nos remotis illis nativis artificiosiora tantum proferemus exempla. Quae autem sunt ista artificiosiora? audio te obloquentem. Hanc scito me mihi comparatam voluisse legem, ut ea tantum respicerem quae

aut cum annominationibus coniuncta essent, de quibus infra dicemus

---

sum‘, posteriori autem ‚*in his erat admirabilis orationis cursus, ornata sententiarum concinnitas non erat*‘ idem valet ac ‚Sätze, Gedanken‘.

107) cf. Cic. Nat. deor. II, 27: *Concinne, ut multa Timaeus: qui cum in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianae Ephesiae templum deflagrasse, adiunxit minime id esse mirandum, quod Diana, cum in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo.* — Alterum genus Asiaticum Cicero l. l. excellens fuisse dicit ‚*exornato et faceto genere verborum*‘, quo nil aliud vult intellegi nisi figuras verborum (σχήματα τῆς λέξεως): qua in re quid nos impediat, quominus de παρισώσεσι quoque et παρομοιώσεσι cogitemus, quae et ipsae in numero Gorgianarum figurarum sunt, prorsus non video (contra cf. Blass. l. l. p. 65 adn.).

108) cf. etiam quam diversa Quintilianus VIII, 5 inter sententiarum genera affert, inprimis § 20 sqq. et vide Volkmannum l. l. p. 388 extr.

109) illis ‚paria paribus relata‘ certe ἰσόκωλα tantum nominat, cf. § 166 et 220; sed illo loco (§ 84) generaliorem procul dubio inesse notionem illi locutioni eaque fere voluit intellegi, quae nos subaudivimus.

aut non solum sententiarum, sed etiam **verborum** quadam **concinnitate** essent insignia[110]: in quibus inprimis ἀντιμεταβολῆς sive commutationis exempla sint commemoranda, ex quibus notissimum sit illud ‚esse oportet, ut vivas, non vivere, ut edas‘[111])

aut denique **cumulatione** singulorum multorum contrapositorum excellerent.

Hanc legem secuto ex **Ligariana** quidem tria vel quatuor tantum exempla huc pertinere mihi videntur, sc. § 4 *nam profectio voluntatem habuit non turpem, remansio necessitatem etiam honestam.* § 5 *An ille ei potuisset illinc ullo modo evadere, Uticae quam Romae, cum P. Attio quam cum concordissimis fratribus, cum alienis esse quam cum suis maluisset?* § 34 *voluntate igitur omnes tecum fuerunt, tempestate abreptus est unus:* quibus, si placet, adicere potes § 33 *nos omnes adversarios putare, nisi qui nobiscum essent, te omnes qui contra te non essent, tuos.* Et ex or. p. **Deiotaro** hab. quinque vel sex, sc. § 2 *qui nepos avum in capitis discrimen adduxerit adulescentiaeque suae terrorem intulerit ei, cuius senectutem tueri et tegere debebat.* § 13 *postremo venit ut ad fugientem, non ut ad insequentem, id est ad periculi non ad victoriae societatem.* § 17 *en crimen, en causa, cur regem fugitivus, dominum servus accuset.* § 30 *fit in dominatu servitus, in servitute dominatus.* § 35 *Non enim iam metuo, ne tu illi succenseas, illud vereor ne tibi illum succensere aliquid suspicere:* quibus adde si vis § 43 *quorum alterum optare illorum crudelitatis est, alterum conservare clementiae tuae.*

Iam haec ipsa exempla per se spectata satis te docebunt vere tenui quodam modo Tullium in nostris orationibus hac figura usum esse. Quamquam igitur vix opus esse putamus comparatione, tamen hic quoque, quam consuevimus, ingrediamur viam: nisi quod numeris hic supersedere nos debere credimus, quamquam id te velimus animadvertere, in or. Phil.

---

110) pars earum inter ἰσόκωλα et ὁμοιοτέλευτα nimirum locum obtinebit.

111) Cornif. IV, 39. Quint. IX, 3, 85.

VIII exempla 8[112]) insigniora, in Miloniana 32[113]) adeo apparere. Sed quo facilius cognoscas, quam exquisiti artificii speciem hae figurae saepius apud Ciceronem praebeant, haec contemplare exempla: Ph. II, 76: *primum luce, non tenebris, deinde cum* **calceis** *et toga, nullis nec* **Gallicis** *nec lucerna.* Mil. 10 (notissimum illud et ab ipso Cicerone or. 165 allatum) *‚Est igitur haec iudices non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.‘* § 52 quod exemplum cumulatione novem contrapositorum fit insigne. Phil. VIII, 2: *potest enim esse bellum, ut tumultus non sit, tumultus esse sine bello non potest*[114]). § 3 *‚ut bellum sine tumultu possit, tumultus sine bello esse non possit.‘* § 29 *‚aut libertas parata victori est aut mors proposita victo‘*[115]). De imp. Pomp. 28: *qui e ludo atque e pueritiae disciplinis . . . ad patris exercitum atque in militiae disciplinam profectus est; qui extrema pueritia miles in exercitu fuit summi imperatoris, ineunte adulescentia maximi ipse exercitus imperator; qui saepius cum hoste conflixit quam quisquam cum inimico concertavit, plura bella gessit quam ceteri legerunt, plures provincias confecit, quam alii concupiverunt: cuius adulescentia ad scientiam rei militaris non alienis praeceptis, sed suis imperiis, non offensionibus belli, sed victoriis, non stipendiis, sed triumphis est erudita.* — Facere non possum, ut omittam Ph. III, 36, ubi concinnitate sane quaesita memorabilis effecta est structura: *‚Sunt impii cives, sed pro caritate rei publicae nimium multi, contra multitudinem bene sentientium admodum pauci‘* (pro *sed quamquam* e.q.s.). — Praeterea confer: Phil. IV, 8. VII, 19. 21. X, 8. 18. XIII, 4. 6. XIV, 25. imp. Pomp. 31. 38. 66. 67.

---

112) his continentur paragraphis: 2. 3. 14. 17. 19. 26. 29.

113) Mil. 3. 5. 10. 31. 32. 33. 36. 41. 45. 52. 86. 90. 92. 99. 103.

114) chiasmum quoque quaeso animadvertas, quo hic κύκλου figura exsistit, de qua vide Volkmannum p. 401.

115) nisi forte hoc exemplum inter annominationes referre mavis.

Haud secus res se habet de annominationibus. Inveniuntur in Ligariana hae: § 3 imperium — imperium — imperitae. § 16 nec hominis nec ad hominem vox est. § 20 ex Africa exire an vos in Africam non venire. § 26 receptus — reiectus. § 28 cum aciem videres, pacem cogitare. § 25 tulistis — detulistis. In or. p. Deiot. hab. hae: § 5 intra — extra. § 7 accusatione — accusatorum. § 9 orari — exorari. § 12 numerabamus — enumerare. § 20 voluerit — noluerit. § 25 amicus — inimicus. § 32 immanitate humanitatem inquinares.

Satis multa, ut videtur: quod non mirum, cum omnia quidem, quaecunque secundum rhetorum definitiones huc pertinere posse videbantur, congesserimus. Sed omnia haec nativa ‚non captata, sed velut oblata' nec unum est ex numero ‚quaesitarum illarum venustatum' [116]). Quod magis erit perspicuum, si exempla profecto quaesitae venustatis in lucem protulerimus, ut Ph. I, 7 provectus, rejectus. 28 nec erat iustior . . . morbi causa quam mortis. II, 12 providit — non vidit. 25 ornaret — oneraret. 26 auctores — actoribus. 85 escendis, accedis. 87 de die — in diem. 97 nummorum — numerentur. 115 inter lucrum et laudem. III, 17 commendationem esse compellationem suam. 16 laedat an laudet. 22 ex oratore arator. 31 nec ruere nec furere. 36 His — dis. VI, 4 lenonum et latronum. 9 legatos an legiones. VII, 14 păratum illi exitium, nisi pāruerit huic ordini. VIII, 8 primum non modo in dissensione et discordia civium, sed in maxima consensione incredibilique concordia. X, 8 corpus aberat liberatoris, libertatis memoria aderat. XI, 14 vindicis tabularum novarum novam tabulam vidimus [117]). 32 armatum armabitis. 35 nec paratum solum, sed peritum. 24 nunc quod agitur agamus. XII, 13 vicerit — venerit. 14 pax non

116) Cicero l. l. ‚et immutatione litterae quaesitae venustates'.

117) figura est ἀντανάκλασις ‚eiusdem verbi contraria significatio' cf. Quint. IX, 3, 68.

erit pax, sed pactio servitutis. XIII, 24 mentum mentemque. 26 diruptus dirutusque[118]). 31 Eos qui erant perditi perdideris. Imp. Pomp. 1: omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi[117]). leg. agr. I, 2 perscribit — proscribit[119]). 10 praefinitum — infinitum. 18 deferre — transferre. 20 praeponitur — opponitur. 21 amissis — intermissis. Mil. 10 v. s. 40 occasio — causa. 44 dubitavit — dubitare[117]). 76 in longinquos, in propinquos. 91 facibus — falcibus. — Quae exempla augendi facile schedae nostrae nobis suppeditarent facultates: sed veremur, ne sic iam simus longi.

Cum una cum annominatione prisci poëtae allitteratione usi sint, liceat nobis hic de allitteratione pauca addere, quamquam nos non fugit in compositionis vitiis eam ab Quintiliano IX, 4, 37 sqq. numerari. Cuius allitterationis exempla permulta ex primis duabus orationibus Landgrafius l. l. p. 10 sq. attulit, qui idem iure fortasse hunc usum ad Asiaticum morem rettulit. Sed ne in posterioribus quidem orationibus hac exornandae elocutionis ratione abstinuisse Ciceronem haec docent exempla: imp. Pomp. 11 *vinculis ac verberibus.* 13 *quoniam libere loqui non licet.* 21 *aditu adventuque.* 30 *bellum . . . sublatum ac sepultum.* 37 *nomino neminem.* 51 *re ac ratione.* 59 *frui debet summi viri vita atque virtute.* 67 *videbat enim praetores locupletari quotannis pecunia publica praeter paucos.* leg. agr. I, 15 *infinitum atque intolerandam.* 27 *quae vitae via facillime viros bonos ad honorem . . . perducat.* Mil. 9 *vi vis illata defenditur.* 30 *vi victa vis.* 42 *fabulam fictam falsam.* 67 *viri vires*[120]). 69 *varia vitae . . . ratio — vaga volubilisque fortuna.* 77 *leges libertas, pudor pudicitia.* 82 *vir vere putandus est.* Phil. I, 17 *non muto, non moveo.* 5 *iidemque bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant et . . . perditi homines . . . cum sui similibus servis tectis ac templis urbis*

118) cf. Manutii adnot. ad hunc locum.

119) secundum Naugerii coniecturam procul dubio probandam coll. praesertim § 4.

120) nisi forte hoc exemplum inter annominationes mavis referre.

minitarentur. II, 56 *absentem credo in reos relatum, rem indicta causa iudicatam.* 58 *lictores laureati* — *homines honesti* — *non noto illo et mimico nomine.* 59 *saturavit se sanguine dissimillimorum sui civium.* III, 18 *de patris et patrui parricidio.* 20 *convenerunt corrogati.* 28 *in possessione libertatis pedem ponimus.* 32 *unum et idem sentientis senatus:* vitare mihi videtur Cicero allitterationem cum in or. p. Dei. h. 11 pro illa formula hanc adhibeat ,*senatus consentientis*'. 33 *armis animisque decernere.* 35 *impuris impudicis.* V, 12 *commentariis commenticiis.* 19 *vehemens et violentus.* 24 *non profectus est, sed profugit paludatus.* ibid. *cuius ne pacatam quidem nequitiam quisquam ferre posset.* 45 *Sed saepe spero fore huius adulescentis hortandi honorandi*[121]) . . . *potestatem.* 47 *excellenti eximiaque virtute.* 51 *memoria maneat domestici doloris.* ibid. *maiora et meliora* cf. VIII, 10 *multi meliora atque maiora.* VI, 9 *ut ego nihil vidisse videar, vertat se et senatui pareat.* VII, 25 *ne spe praesentis pacis perpetuam pacem amittatis.* VIII, 8 *fortunas nostras partim dissipet partim dispertiat parricidis.* 20 *ante os oculosque.* 21 *reiecti revertissent renuntiavissentque.* X, 8 *de pace et concordia civium cogitantium.* 13 *quod di duint* (*dent*). 21 *armis animisque infestam inimicamque.* XI, 4 *divexare ac diripere* — *a reditu refrenavit* — *negant qui norunt* — *ad praesentem pastum.* 6 *vagatur, volitat.* 7 *vincula verbera.* 9 *suscipit in se scelus.* 11 *pro praetura putat.* 24 *quo salvo salvi sumus.* 27 *vos vestra esse velitis.* 30 *naves nautas.* 34 *ex animo amicum.* XII, 5 *spe salutis spoliatus.* 7 *spe falsa atque fallaci.* ibid. *ut eos paeniteat professos esse et prae se*

121) hortandi honorandi V[1] hortandi honorandique V[2], Halmius honorandi; ornandi honorandique Orellius cum Ferrario, quos secutus est Klotzius. Equidem nullam video esse causam, cur ab iis, quae prior Vat. man. praebet, recedamus: nam cum in hac oratione tot senatusconsulta Cicero formet, non ab omni probabilitate abhorret eum nostro quoque loco hunc colorem (cf. § 35 *exercitum conscripserit comparavit.* § 46 *libertatem populi Romani defendant defenderint*) retinuisse: ceterum cf. etiam § 29 *novi hominis insaniam adrogantiam.* Div. 7 *populi Romani adflicti miseri.* Phil. VIII, 8 *ut haec omnia perturbet, evertat.*

tulisse odium in Antonium, qui pecunias polliciti sunt. 24 *Nemo me minus timidum.* XIII, 4 *ratum religiosumque foedus.* 8 *casta a cruore civili.* 42 *foedere et fide.* XIV, 18 *si vitiis cum virtute contendit: ut enim cursu cursus, sic in viris fortibus virtus virtute superatur.* 19 *avent audire.* 22 *semel et saepius sententiam meam de numero sententiarum sustulerunt.* 32 *in fuga foeda mors est.* 35 *vivis victoribusque.*

Si haec tot exempla percurreris, quorum numerus vel augeri potest, aliquantum sane ad nostras iudicandas orationes valere concedes, quod in Ligariana duo tantum inveniuntur alliterationis exempla 16 refellere et redarguere, 34 consensum conspirantem ac paene conflatum et in or. p. Deiotaro hab. quattuor[122]) 2 tueri et tegere, 27 res rationesque, 28 pudoris pudicitiaeque, 30 ingrate et impie: pauca admodum, si praesertim confers oratt. Phil. XI. V. III. XIV et certe omnia vix quaesita.

Restat, ut in ὁμοιοτέλευτα similiaque[123]) inquiramus. Hic rursus, ut de contrapositis fecimus, priusquam ipsam ingrediamur rem, qualia exempla huc referenda nobis videantur, indicandum est. Nam quam videtur facile esse de hac re decernere, tam re vera est difficile iustum hic sibi modum rationemque constituere. Quod tibi non ita mirum videbitur, si contemplatus eris, quantum Quintilianus IX, 3, 75 — exempli causa eum nomino — frustra meo quidem iudicio laboraverit, ut haec omnia πάρισον, ὁμοιόπτωτον, ὁμοιοτέλευτον recte discerneret. Quare id speramus neminem opprobrio nobis daturum, quod hac in re potius sensus nostros quam solum rhe-

---

122) illud ἓν διὰ δυοῖν ‚legati litteraeque', formulam pervulgatissimam, quam etiam in ceteris oratt. persaepe invenimus nec tamen rettulimus, hic non respeximus. In Ligariana § 11 extr. insignis exstat clausula ‚sed vita vis' cuius asperitatem sententiae respondere non fugit veteres grammaticos (cf. Halmii adn.): sed allitterationem tamen hic non puto quaesitam esse ab oratore, quoniam si contrapositionem urgere voluit, vix potuit verba aliter collocare. At si quis in contraria perseveret sententia, habeat sibi: modo id mihi concedat hoc loco vel apud tenuem oratorem alliteratio non modo excusari, sed etiam laudari posse.

123) ‚paria paribus relata et similiter conclusa eodemque pacto cadentia' Cicero or. 84.

torum definitiones sequi maluimus. Ac ne nostras quis credat aures negligentiores fore iudices, equidem puto etiam severiores fortasse, quam par sit: quam ut rem tibi probem, illud modo velim recorderis multo pleniores esse in antiquis linguis terminationes quam in recentioribus, dumtaxat in Germanicis: qua re facile fieri poterit, ut nostrae aures nimio quodam studio ibi quoque figuras indagent, ubi veteres nihil eiusmodi sentiebant. Quamquam sane id sit dolendum, quod non sic, ut de contrapositis fecimus, de hac quoque figura certas quasdam proferre possumus regulas: nisi quod ea inprimis exempla erunt animadvertenda, ubi ὁμοιοτέλευτον cum ἰσοκώλῳ coniungitur [124]).

Hac igitur usi ratione in Ligariana haec invenimus exempla:

§ 9 *Quid enim tuus ille, Tubero, destrictus in acie Pharsalica gladius ag***ebat***? cuius latus ille mucro pel***ebat***?* 11 *ut Q. Ligarius condemn***etur**, *sed ut nec***etur**. ibid. *aut levium Grae***corum** *aut immanium barba***rorum**. 14 *Si tu repente irru***isses** *et clamare coep***isses**. 22 *Varus imperium se habere dic***ebat**, *fasces certe hab***ebat**. 31 *quam tuus esset necessarius is, qui te* **oraret**, *sed quam illius, pro quo lab***oraret**.

Ex orat. p. Deiot. hab. haec: § 3 *Fugitivi . . . cum os vid***ebam**, *cum verba audi***ebam** *non tam adflictam regiam condicionem dol***ebam** *quam de fortunis communibus extimesc***ebam**. 8 *te eius di penates accep***erunt**, *te amicum et placatum Deiotari regis arae focique vid***erunt**. 10 *itaque non solum in eum non animadvert***isti**, *sed omni metu liberav***isti**, *hospitem agnov***isti**, *regem reliqu***isti**. ibid. *Is rex, quem senatus hoc nomine*

124) cf. etiam Berbigium l. l. p. XVII. Etiam sic suum cuique semper ferendum erit iudicium, utrum consulto et cogitate auctor in eundem modum membra compluria desinere cogat i. e. figuram adhibeat necne. Quis enim est exempli causa, qui apud Caes. b. g. IV, 37 haec speciem prae se ferre neget homoioteleuti:

„*interim nostri milites impetum hostium sūstĭnŭ ē r ū n t*
„*atque amplius horis quattuor fortissime pūgn ā v ē r ū n t*
„*et paucis vulneribus acceptis complures ex his ōccīd ē r ū n t*

ac tamen quis est homo sana mente, qui hunc locum in huius figurae numero referat?

*saepe honorificentissimis decretis appellav***isset** *quique illum ordinem ab adulescentia gravissimum sanctissimumque dux***isset.** ibid. *n***ati** *semperque vers***ati.** 15 *non modo a te periculo liber***atus,** *sed etiam honore amplissimo orn***atus.** 24 *At eo tempore ipso pecuniam ded***it,** *exercitum alu***it,** *ei, quem Asiae praefeceras, in nulla re def***uit.** 31 *cum tribunus pl. M. Scaurum, principem civitatis, in iudicium populi Romani vocav***isset** *Scaurique servus ad eum clam domum ven***isset** *et crimina in dominum delaturum se esse dix***isset.** ibid. *sed tamen ille inimico servum remisit, tu ab avo abdux***isti;** *ille incorruptum audire noluit, tu corrup***isti;** *ille adiutorem servum contra dominum repudiavit, tu etiam accusatorem adhibu***isti.**

Ac de Ligariana quidem neminem spero dubitaturum, quin Cicero hanc figuram tenui quodam modo excoluerit. De or. p. Deiotaro hab. tam certum tale iudicium ferre non poterimus: quamquam in hac quoque oratione pleraque exempla non admodum aures nostras verberant, eaque modo, quae in §§ 10 et 31 (fortasse etiam § 3) conspiciuntur, aliquantulum nos offendunt. Sed haec ipsa multum distare ab iis, quae re vera insignius aliquid artificiosiusque appetunt, haec ex aliis sumpta orationibus te docebunt. Quanti enim est artificii illud, quod Phil. III, 36 legitur: ‚*His auctoribus et duc***ibus,** *dis iuvant***ibus,** *nobis vigilant***ibus** *et multum in posterum provident***ibus,** *populo Romano consenti***ente,** *erimus profecto liberi brevi temp***ore.**‘ Quanto fastidio ac languore aures debebant adficere, quae in eadem oratione § 30 leguntur, ubi 15ies, 15ies, inquam, eodem pacto desinunt verba: ‚— *fec***erit** — *exhaus***erit** — *compilav***erit** — *transtul***erit** . . . . *revocav***erit** — *liberav***erit** — *sustul***erit** — *redux***erit** — *curav***erit** — *institu***erit** — *imposu***erit** — *exclus***erit** — *inclus***erit** — *cucurr***erit** — *iugulav***erit**‘: finis tandem factus insignitur hac verborum collocatione: ‚*cum exercitu Romam sit ad interitum nostrum et ad dispersionem urbis venire conatus?*‘ Quam inest quaesita concinnitas in his: imp. Pomp. 1: *Quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo iucund***issimus,** *hic autem locus ad agendum ampl***issimus,** *ad dicendum ornat***issimus** *est visus* . . . . Adde Mil. 61: *omnia audi***enti,**

magna metuenti, multa auspicanti, nonnulla credenti.' Phil. V, 17: *nec multis et occultis.* 50 *Nihil est illi re publica carius, nihil vestra auctoritate gravius, nihil bonorum virorum iudicio optatius, nihil vera gloria dulcius*[125]). VII, 15: *in quo pecuniam publicam maximam dissipavit, exsules sine lege restituit, vectigalia divendidit, provincias de populi Romani imperio sustulit . . . qui Mutinam, coloniam populi Romani firmissimam oppugnarit, imperatorem populi Romani, consulem designatum, obsederit, depopulatus agros sit.* VI, 14: ,*nullam impensam fecerant, nondum instruxerant, partim quia non confidebant, partim quia non habebant.*' Procul dubio prae ceteris ea erant destinata exempla, quae aures caperent, ubi ad homoioteleuton numeri aequalitatem videmus accedere, ut Phil. XIV, 12:

clarissimis ducibus supplicationem honorum **trĭbŭēmŭs,**
imperatorium nomen **ădĭmēmŭs.**

ib. 21 *Has in sententias meas si consules discessionem facere* **vŏlŭīssēnt,**
omnibus istis latronibus auctoritate ipsa senatus iam pridem de manibus arma **cĕcĭdīssēnt.**

§ 35 *in quo nisi tanta militum virtus* **ēxstĭtīssĕt,**
parricidio M. Antonii nomen populi Romani **ōccĭdīssĕt**

adde § 33 *Vos ab urbe furentem Antonium* **āvērtīstĭs**
vos redire molientem **rēppŭlīstĭs.**

Denique talia animadvertas quaeso exempla, qualia exstant Phil. V, 39: *maximum ornamentum reipublicae, clarissimum monumentum clementiae suae* et XII, 3: *quod videbam equidem, sed quasi per caliginem*: ubi plane manifesta sit huius figurae captatio atque ostentatio.

Haec si perlustraveris artificia, facile tibi persuadebis cum his comparata etiam quae insigniora inveniantur in or. p. Dei. hab. non tam videri captata quam sponte oblata.

4. **Incrementi, congeriei, συναθροισμοῦ** figuras similiave Cicero l. s. l. comprehendit, cum dicat ,*nec acervatim multa frequentans una complexione devinciet.*' Ergo et nobis

---

125) Insigne fit hoc exemplum adiuncta epanaphora.

has omnes figuras, praesertim cum vix possint certo definiteque discerni [126]), liceat una hic complecti. De his autem agere figuris quantum nostrae intersit quaestionis, ex eo potest intellegi, quod nemini iam est ignotum redundantiam quandam verborum et sententiarum haud exiguo Asianis fuisse opprobrio [127]). Huc accedit, quod ipse Cicero primitias suas reprehendit propter redundantiam quandam iuvenilem, a qua postea Molonis disciplina ad magis modicam rationem dicendi sit revocatus [128]). Quam in rem nobis inquirentibus non solum illarum figurarum exempla, sed etiam omnes loci sint respiciendi, ubi orator, ad quod significandum unum iam sufficeret verbum, tamen utpote diligens abundantiae duorum verborum copulatione utitur, ut, rogare et orare' (Div. in Q. Caec. 3) pro simplici aut rogandi aut orandi verbo [129]). His expositis ipsa aggrediamur exempla.

In Ligariana congeriei haec exempla inveniuntur 10: § 6 *o clementiam admirabilem atque omni laude, praedicatione, litteris monumentisque decorandam.* 13 *Quod nos petimus precibus, lacrimis, strati ad pedes.* 30 *erravit, lapsus est, non putavit.* ib. *non fecit, non cogitavit: falsi testes, fictum crimen.* ib. *erravit, temere fecit, paenitet* [130]). 27 *honos, nobilitas, splendor, ingenium.* 9 *Quid . . . tuus . . . gladius agebat* e.q.s. 12 *studia generis ac familiae vestrae virtutis, humanitatis, doctrinae, plurimarum artium atque optimarum.* 18 *sceleris vero crimine, furoris, parricidii.* 20 *neque enim licuit aliter vestro generi, nomini, familiae, disciplinae.* Praeterea haec redundantiae exempla 4 vel 5: § 1 *novum crimen et . . . non auditum.* (2 *integritas ac fides.*) 13 *acerbius multoque est durius.* 16 *refellere et redarguere.* 34 *consensum conspirantem ac paene conflatum.*

---

126) Ipse Quintilianus VIII, 4, 27 haec dicit: *simile est hoc* (sc. congeries verborum ac sententiarum idem significantium) *figurae quam* συναθροισμὸν vocant. cf. etiam Volkmannum l. l. p. 401 sq.

127) Cuius rei vetera testimonia Landgrafius congessit l. l. p. 8.

128) Brut. § 316.

129) Quam viam ante me ingressus est Landgrafius.

130) Omnium huius paragraphi exemplorum nulla forsitan ratio habenda sit, vide supra p. 6.

In hac oratione sane modice Ciceronem copia verborum usum esse statim tibi persuadebis, si hos contuleris numeros: inveniuntur enim in or. d. imp. Pomp. hab. §§ 71 congeriei exempla 19 tantum, at accedunt aliusmodi redundantiae exempla 63, ut omnino efficiantur exempla 82, in Phil. X §§ 26 exempla 7 + 28 = 35, in Phil. XI §§ 39 exempla 17 + 41 = 58, in Phil. IV §§ 16 exempla 12 + 11 = 23. Sed prorsus aliter atque in Ligariana res in orat. p. Dei. hab. videtur se habere. Nam in hac congeriei quidem haec 8 modo conspiciuntur exempla: § 6 *Spectarem curiam, intuerer forum, caelum denique testarer ipsum.* 12 *Cn. Pompei bella, victorias, triumphos, consulatus admirantes numerabamus.* 16 *Deiotari integritas, gravitas, virtus, fides.* 20 *repete illius temporis memoriam, pone illum ante oculos diem, vultus hominum te intuentium atque admirantium recordare.* 30 *Servum sollicitare verbis, spe promissisque corrumpere, abducere domum, contra dominum armare* e.q.s. 39 *quorum mihi amicitiam respublica conciliavit, hospitium voluntas utriusque coniunxit, familiaritatem consuetudo attulit* e.q.s. 61 *cum audiret ... arma sumpta* e.q.s. 33 *multos iussu Caesaris vexatos, verberatos* e.q.s. Sed aliusmodi redundantiae haec exempla 20 vel 22: § 2 *sceleratum et impium.* ib. *tueri et tegere.* ib. *ab impietate et scelere.* 4 *praestans singularisque natura.* 5 *in tuo ore vultuque.* 7 *usu atque exercitatione.* ib. *spe et cogitatione.* 8 *incommodis et detrimentis.* ib. *non tam in bellis atque in proeliis quam in promissis et fide firmiorem.* 11 *concordiae et pacis.* 16 *homo inconsultus et temerarius.* 26 *perspecta et cognita.* 27 *res rationesque.* 28 *pudoris pudicitiaeque.* 30 *abiectam et obscuram.* ib. *ingrate et impie.* 36 *hoc nomine retento atque servato.* 38 *reputans et dies noctesque cogitans.* ib. *tranquillitatem et quietem.* 37 *quae unquam vetustas obruet aut quae tanta delebit oblivio.* Adde sis 27: *severissime et gravissime.* 37 *omnes docti atque sapientes.*

In hac igitur re Cicero in Deiotariana non tam probe quam in Ligariana tenuem modum adhibuit: quamquam exemplorum ex or. p. Dei. hab. congestorum numerus (sc. 28—30)

cum iis, quos supra commemoravimus, comparatus numeris non ita magnus videbitur. Neque id est omittendum, quod talis abundantiae, qualem supra ex div. in Q. Caec. notavimus, ubi plane idem significantia verba coniunguntur, exemplum vix ex oratione p. Dei. hab. erueris. Confer etiam Phil. VII, 8 *quaeso oroque.* 22 *pleno ac referto foro.* imp. Cn. Pomp. 5 *deposci atque expeti.* 18 *gnavi atque industrii.* 21 *aditu adventuque.* 48 *velle et optare.* 57 *expetenti et postulanti.* leg. agr. I, 16 *premere atque urgere.* Mil. 2 *recreat et reficit.* Phil. VI, 18 *excubabo vigilaboque.* VIII, 8 quod exemplum in annominationum numero attulimus. X, 21 *armis animisque infestam inimicamque.* XIII, 12 *interpretes internuntiique.* Adde leg. agr. I, 16 *omnibus vinclis devinctum et constrictum.* Adice etiam haec congeriei exempla insignia: Mil. 67 *atque illa omnia in hunc unum instituta, parata, intentata.* 101 *ex hac urbe expelletur, exterminabitur, proicietur.* Phil. II, 70 *bellum civile, quod natum, conflatum, susceptum opera tua est.* Phil. V, 29 *exclusit illum a republica, distraxit, segregavit.* ib. 51 *promitto, recipio, spondeo.* VIII, 17 *contempsit, reiecit, repudiavit.* XI, 22 *ut relicto, deserto, prodito.* XII, 1 *falli decipi, errare.* leg. agr. I, 26 *inclusum malum, intestinum atque domesticum est.*

Denique id quaeso respicias, quod in or. p. Dei. hab. singula abundantiae exempla per totam orationem sunt dispersa, contra alibi in unum saepe locum congesta atque cumulata, quo multo fit abundantia manifestior, ut: Phil. III, 33 *Nullum tempus dimittam neque diurnum neque nocturnum, quin de libertate populi Romani et dignitate vestra quod cogitandum sit, cogitem, quod agendum atque faciendum, id non modo non recusem, sed etiam appetam atque deposcam.* V, 40 *Quam ob causam iustam atque magnam et quod periculosissimum civile bellum maximumque humanitate et sapientia sua M. Lepidus ad pacem concordiamque convertit.* VIII, 8 *Hoc bellum quintum civile geritur ... primum non modo non in dissensione et discordia civium, sed in maxima consensione incredibilique concordia. Omnes idem volunt, idem defen-*

dunt, idem sentiunt. Cum omnes dico eos excipio, quos nemo civitate dignos putat. Quae est igitur in medio belli causa posita? Nos deorum immortalium templa, nos muros, nos domicilia sedesque populi Romani, aras, focos, sepulcra maiorum; nos leges, iudicia, libertatem, coniuges, liberos, patriam defendimus: contra M. Antonius id molitur, id pugnat, ut haec omnia perturbet, evertat, praedam rei publ. causam belli putet, fortunas nostras partim dissipet, partim dispertiat parricidis. XI, 21 *Cum consul designatus obsideatur, cum in eo liberando salus sit posita rei publicae, cum a populo Romano pestiferi cives parricidiaeque desciverint, cumque id bellum geramus, quo bello de dignitate, de libertate, de vita decernamus, si in potestatem quis Antonii venerit, proposita sint tormenta atque cruciatus, cumque harum rerum omnium decertatio consulibus optimis et fortissimis commissa et commendata sit: ...* Confer etiam imp. Pomp. § 7 et saepius alibi.

His expositis non dubito, quin iam omnibus sit perspicuum Ciceronem nostras orationes vere modico ornatu induisse. Fortasse de singulis quibusdam rebus nonnulla erunt dicenda, sed haec in postremum caput reservemus, nunc ad compositionem transeamus.

Cap. IV.

De compositione.

Multi fortasse hoc caput ingressuros nos videntes exspectabunt primum nos de hiatu quasdam observationes prolaturos esse, praesertim cum Cicero tenui oratori haec praeceperit or. § 77: ‚*Verba etiam verbis quasi coagmentare neglegat; habet enim ille tamquam hiatus et concursus vocalium molle quiddam et quod indicet non ingratam neglegentiam de re hominis magis quam de verbis laborantis.*‘ Ac procul dubio si cum Graeco aliquo oratore res nobis esset, in hanc rem quam maxime incumberemus. In Latino vero si quis quaeret, quomodo possit de hac re disceptari, neque aptam neque

ullam viam inveniet. Nam cum apud Ciceronem orat. 150 haec inveniantur: ‚*Quod quidem Latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, qui vocales nolit coniungere*' et ibid. 151 extr.: ‚*Sed Graeci viderint: nobis ne si cupiamus quidem, distrahere voces conceditur*' et cum praesertim Quintilianus hanc partem in eo quoque attingat capite (XI, 3), ubi de pronuntiatione agitur hisque utatur verbis (§ 33/34): ‚*Dilucida vero erit pronuntiatio primum, si verba tota exierint, quorum pars devorari, pars destitui solet, plerisque extremas syllabas non perferentibus, dum priorum sono indulgent. Ut est autem necessaria verborum explanatio: ita omnes imputare et velut annumerare litteras molestum et odiosum: Nam et vocales frequentissime coeunt et consonantium quaedam insequente vocali dissimulatur. Utriusque exemplum posuimus:*

‚*Multum ille et terris:*'

luce fit clarius hiatum aut vitare aut adamare apud Latinos quidem oratores non tam erat compositionis quam pronuntiationis et Ciceronis illam legem, quam primo attulimus loco, universe in oratorem tenuem sive in eius *ἰδέαν* nec vero in Romanum tenuem oratorem valere: quam quidem legem transtulit ex Graeco fonte.

Hanc igitur rem nostro iure missam faciamus. Relinquitur, ut in numerum inquiramus: cuius cum divisio duplex sit, scilicet in membrorum (sive in structuram periodorum) et in verborum numerum, rursus confitendum est alterum, sc. membrorum numerum hic non posse respici. Nam in hac disceptanda parte omne fundamentum satis firmum mihi deesset: de rhetorica enim periodorum structura — et de hac sola hic agi manifestum est — unus adhuc exstat, quantum equidem scio, utilis libellus Bernhardti[131]), qui inscribitur: ‚Begriff und Grundform der griechischen Periode' Wiesbaden 1854. Qua ex commentatione praestantissima quamquam sat

---

131) Haud ignoro quae ante Bernhardtium Dissenius disseruit in prolegomenis, quae praemisit editioni Demosthenicae de corona orationis (Gotting. 1837).

amplos me fructus ad cognoscendam et dignoscendam Graecorum oratorum artem percepisse mihi habeo persuasum, tamen ad hanc quaestionem nostram nihil fere redundabit lucri. Nam primum liceatne easdem regulas periodorum structurae, quas apud Graecos oratores valuisse verisimile est, utique ad Latinos transferre? Deinde etiam si illud concedatur, tamen prorsus caremus talibus de tota Ciceronis compositione dissertationibus, quales ad nostrarum orationum compositionis genus plane dignoscendum quasi viam praemuniant: nec a me ipse potui impetrare, ut membrorum quoque numeros diligenter persecutus omnes vel plurimas Ciceronis orationes perlustrarem, quo facilius quonam forte modo nostrarum compositio differret ab ceteris, intellegerem: quod quidem opus multo sit amplius quam quod tiro primum ingenii vim experiens ingredi audeat. Quod eo magis dolui, quod me vel obiter tantum hanc rem persequentem non fugit re vera inter quasdam orationes intercedere compositionis differentias. Cuius rei unum proferam exemplum et orationis de imp. Cn. Pomp. habitae et Ligarianae prooemia et narrationes comparans[132].

or. d. imp. Pomp. § 1. „Quamquam mihi semper „frequens conspectus vester multo iucundissimus, | hic „autem locus ad agendum amplissimus | ad dicendum or„natissimus est visus, Quirites || tamen hoc aditu laudis | „qui semper optimo cuique maxime patuit, | non mea me „voluntas adhuc | sed vitae meae rationes ab ineunte aetate „susceptae prohibuerunt. ||

En duarum periodorum arta coniunctio correlatione particularum ‚quamquam tamen' conformata. Alter ambitus tria continet membra, alter est δίκωλος[133]) divisione extremi membri amplificatum, ut omnino quattuor exsistant membra. Qua in re artificiosum animadvertas quaeso numerum: nam ut prior ambitus a posteriori numero membrorum, sic posterioris ambitus priora membra ab extremo amplitudine superantur.

---

132) Qua in re uti par est, eam adhibere conatus sum rationem, quam instituit Bernhardtius l. l.

133) de vi huius termini vide Bernhardtium l. l. p. 17.

„Nam cum antea per aetatem nondum huius auctori- „tatem loci attingere auderem | statueremque nihil huc nisi „perfectum ingenio, elaboratum industria adferri oportere, | „omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum „putavi.“ ||

Est *δίκωλος* praemisso enuntiato secundario effecta, cuius priora membra dissolutius per coniunctionem ‚que‘ cohaerent.

§ 2 „Ita **neque** hic locus vacuus unquam fuit ab iis | „qui vestram causam defenderent | **et** meus labor in pri- „vatorum periculis caste integreque versatus | ex vestro „iudicio fructum est amplissimum consecutus.“

Est *τετράκωλον* bene constitutum correlatione particularum ‚neque‘; ‚et‘.

„Nam **cum** propter dilationem comitiorum ter praetor „primus centuriis cunctis renuntiatus sum | facile intellexi, „Quirites | **et** quid de me iudicaretis | **et** quid aliis prae- „scriberetis.“

Est *τρίκωλον* satis arcte coniunctum: praemisso enuntiato secundario, correlatione ‘et — et‘.

„Nunc **cum** *et* auctoritatis in me tantum sit, | quan- „tum vos honoribus mandandis esse voluistis, | *et* ad agen- „dum facultatis tantum | quantum homini vigilanti ex „forensi usu prope cotidiana dicendi exercitatio potuit ad- „ferre, ||| certe *et* si quid auctoritatis in me est | apud „eos utar, | qui eam mihi dederunt || *et* si quid in di- „cendo consequi possum, || iis ostendam potissimum, | qui „ei quoque rei fructum suo iudicio tribuendum esse du- „xerunt.“ ||

En artificiosissimae numerositatis specimen splendidissimum. Habes trium periodorum complexum quam arctissimum. Neque solum periodi singulae arcte cohaerent, cum praemissa protasi (cum) exspectemus necesse sit apodosin, quae et ipsa in duas dividitur periodos per ‘et — et’ arcte coagmentatas, sed etiam intra uniuscuiusque periodi ambitum membrorum singulorum iunctura tam fit plana, ut fere praestringat oculorum aciem, hoc modo: **et** . . . tantum, quantum — **et**

... tantum, quantum; et si ... eos, qui; et si ... eis, qui.

Est autem prima periodus τετράκωλος, quae cum extremum membrum omnia antecedentia longitudine superet, formam παρίσου efficit: item altera et tertia periodus, quarum utraque δίκωλος est bene formata, efficiunt πάρισον. Sed ut plane perspicias, quam patefactam adhibuerit artem artifex, hoc subiciam schema, in quo prima periodus per litteram a, eius prius par per α, posterius per β, altera periodus per b, tertia per c, harum duarum periodorum complexus per B significatur:

$$\begin{array}{ccccc} a & = & B & & \\ \overbrace{\alpha = \beta} & : & \overbrace{b = c} & = & 2:3. \end{array}$$

§ 3 „Atque illud inprimis mihi laetandum iure esse „video, | quod in hac insolita mihi ex hoc loco ratione „dicendi causa talis oblata est, | in qua oratio deesse ne„mini possit.“ ‖

Est δίκωλος, cuius incisiones insignes factae sunt hoc modo: illud; talis.

Sequitur argumentum orationis duobus vel tribus expressum enuntiatis haud numerose institutis:

„Dicendum est enim de Cn. Pompei singulari eximia„que virtute: huius autem orationis difficilius est exitum „quam principium invenire. Ita mihi non tam copia quam „modus in dicendo quaerendus est.“

Statim autem narrationem ingressus complexu utitur orator duarum periodorum, quarum altera est δίκωλος, altera μονόκωλος [134]):

§ 4 „Atque ut inde oratio mea proficiscatur, | unde „haec omnis causa ducitur, | bellum grave et periculosum „vestris vectigalibus ac sociis a duobus potentissimis regi„bus infertur, Mithridate et Tigrane, ‖ quorum alter re„lictus | alter lacessitus | occasionem sibi ad occupandam „Asiam oblatam esse arbitrantur.“

Tum utpote qui referentium, non oratorie sermonem exor-

134) cf. Bernhardtium l. l. p. 11.

nantium morem imitetur, *ἀσυνδέτως* orationem producere conatur. Sed ne hic quidem prorsus ex numerorum vinculis potest se liberare. Occurrunt enim tres periodi *μονόκωλοι*, quarum respice formationis aequalitatem:

„qui ad me pro necessitudine, | quae mihi est cum illo „ordine, | causam rei publicae periculaque rerum suarum „detulerunt.“ ||

§ 5 „Bithyniae, | quae nunc vestra provincia est, | vicos „exustos esse complures: ||

„regnum Ariobarranis, | quod finitimum est vestris vectigalibus, | totum esse in hostium potestate:“ ||

Tum denique per singula membra *ἀσυνδέτως* progreditur ‚L. Lucullum — discedere: huic qui successerit — administrandum: unum — expeti, eundem — neminem.‘

In hac igitur oratione haud erit dubitandum, quin Cicero talem fere compositionis rationem sit secutus, qualem Isocrates, de quo Demetrius el. 12 haec dicit: *Ἡ κατεστραμμένη, οἷον ἡ κατὰ περιόδους ἔχουσα, ὡς ἡ τῶν Ἰσοκρατείων ῥητόρων καὶ Γοργίου καὶ Ἀλκιδάμαντος. ὅλαι γὰρ διὰ περιόδων εἰσὶ συνεχῶν οὐδέν τι ἔλαττον ἤπερ ἡ Ὁμήρου ποίησις δι᾽ ἑξαμέτρων*[135]). Quod de Cicerone iudicium ipse facile confirmabis, si totam orationem percurreris, qua in re animadvertas quaeso complexus inprimis periodorum, quales exstant §§ 7. 10. 13. 14. 55. 56. 63.

Contra tibi proponas velim Ligarianae prooemium:

„Novum crimen, C. Caesar, — et ante hunc diem non „auditum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit — Q. „Ligarium in Africa fuisse — idque C. Pansa praestanti „vir ingenio | fretus fortasse familiaritate ea, | quae est „ei tecum, | ausus est confiteri.“

In altera totius enuntiati parte plane tibi fiet manifestum solutum esse sermonem, id quod per lineolam (—) volui insignire: in altera parte vestigia quidem cuiusdam periodi exstant. Statim singulare sequitur membrum ‚— Itaque quo me vertam, nescio.‘ — Deinceps plane solute:

---

135) Bernhardt. p. 30 coll. p. 12 extr.

„Sed quoniam diligentia inimici investigatum est quod „latebat, confitendum est, opinor, — praesertim cum meus „necessarius Pansa fecerit, ut id integrum iam non es-„set, — omissaque controversia omnis oratio ad miseri-„cordiam tuam, conferenda est, — qua plurimi sunt con-„servati, — cum a te non liberationem culpae, sed errati „veniam impetravissent."

Initio § 2 duae inveniuntur periodi simplicissimae:

„Habes igitur Tubero | quod et accusatori maxime „optandum, | confitentem reum: ||

„sed tamen hoc confitentem | se in ea parte fuisse, | „qua te, qua virum omni laude dignum, patrem tuum." ||

Quas excipit enuntiatum duo continens membra:

„Itaque prius de vestro delicto confiteamini necesse „est, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis."

Eodem prorsus modo in sequenti narratione res se habet: ubique simplicia, non membratim incisa enuntiata sese excipiunt, inter quae nimirum singula passim severioris periodi vestigia dispersa conspicies[136]), omnia autem nullam artis prae se ferentia speciem: rhythmum vero ubique frustra quaeres.

Sed haec hactenus. Nimium iam vereor ne in hac re tempus triverim, quam praeteriens, ut aiunt, modo volui attingere.

Restat, ut in verborum numeros accuratius inquiramus: atque hic quidem habemus nunc tale fundamentum bene firmum, quale de membrorum numeris disceptantibus deesse modo diximus.

Dico Georgii Wüstii dissertationem laboriosissimam qui inscribitur ‚De clausula rhetorica quae praeceperit Cicero, quatenus in orationibus secutus sit. Argentorati 1881.' Cuius dissertationis maxime tertium caput, quippe qui inscribatur ‚Eademne omnibus vitae temporibus eodemque studio amplexus sit Cicero clausulas necne fusius explicatur', ad hanc

136) ut § 3 ‚Quo audito partim cupiditate inconsiderata, | partim caeco quodam timore | primo salutis, | post etiam studii sui quaerebant aliquem ducem' ||.

quaestionem pertinebit: cui capiti tabulam (B) adiecit p. 60/61, in quam numeros clausularum, quas indagavit, in centenos relatos congessit.

Quam qui tabulam perlustrarit, nemo fere addubitabit, quin re vera alia sit aliis temporibus habitarum orationum compositio. Ac Wüstius tres orationum classes conficit: p. Quinct. (a. 81 hab.) — Verrin. (a. 70); de imp. Cn. Pomp. (66) — p. Archia (62); pro Sestio (56) — Philipp. (44/43): quarum prima nondum satis perfectas, media perfectissimas, postrema rursus a summa perfectione recedentes contineat orationes. His utitur verbis: ‚*Inde facile apparet, id quod per se etiam consentaneum est et iis, quae supra de evitatis in paragraphorum et capitum clausulis disyllabis dixi perquam probatur, summam perfectionem cerni in mediis orationibus, quas quae antecedunt luctari videntur cum arte, quae sequuntur severae artis remissionem quandam indicant, ita ut* . . .‘ Haec ratio, ubi primum eam cognovi, habuit nescio quid, quod mihi non valde arrideret vel non satisfacere videretur: immo vero scio quid: nimis enim communis videtur locus adhiberi, sc. quod nemo de caelo, ut aiunt, perfectus labitur artifex, et quod senes infantium rursus fiunt instar. Hic autem locus communis ne quadrat quidem plane ad eloquentiam Ciceronianam. Quadraret tum modo, si omnibus ex partibus, non modo compositione, sed etiam inventione, dispositione mediae classis orationes superiores evaderent, quam primae et extremae: quod re vera nequaquam fit: nam insunt in extrema classe celeberrima illa Miloniana et suavissima illa Ligariana, quam quidem Quintilianus crebrioribus laudibus effert, equidem margaritam quasi duco Tullianae eloquentiae. Ergo si compositione tantum mediae classis orationes excellunt, huius rei alias causas indagare oportet. Exemplum vero Isocratis, quod Wüstius confirmandae opinionis suae causa addit ex Cic. or. 176: ‚*Quin etiam se ipse tantum, quantum aetate procedebat . . . relaxarat a nimia necessitate numerorum*‘ etiam pro nobis certat, certe non quadrat ad id, quod vult probari, probandum. Nam cum haec antecedant: ‚*Horum uterque* (sc. Thrasymachus et Gorgias) *Isocratem aetate praecurrit, ut eos*

ille moderatione, non inventione superarit. Est enim ... in ipsis numeris sedatior. Gorgias autem ... his festivitatibus ... insolentius utitur, quas Isocrates ... moderatius iam temperavit', deinceps haec legantur *,Quin etiam se ipse tantum, quantum procedebat ... nimia'*, denique haec: *,Ita non modo superiores, sed etiam se ipse correxerat'*, luce fit clarius laudari propterea hic a Cicerone Isocratem: ideo tantum abest, ut hic Isocrates a perfectissima compositione in senectute (ceterum perperam de senectute Wüstium cogitasse puto illa ,tantum quantum aetate procedebat' legentem) recessisse dicatur, ut tantum quantum aetate procederet, etiam atque etiam perfectiorem reddidisse compositionem laudetur. Quam explicationem confirmat simillimus locus Dionys. Hal. de Isocrate iud. cap. XIV extr.: *,οἱ μέντοι γ' ἐπὶ τελευτῇ τοῦ βίου γραφέντες λόγοι ἧττόν εἰσι μειρακιώδεις, ὡς ἂν οἶμαι, τελείαν ἀντειληφότες τὴν φρόνησιν παρὰ τοῦ χρόνου.*

Ergo iam per se spectata talis, qualem Wüstius instituit, periodorum divisio haud ita probabilis sit. Quid quod ex ipsorum numerorum condicione quam fortissime ei resistendum est? Cadat enim necesse est Wüstii sententia, si Ciceronem postquam ,senescens' remisit aliquantum de severa arte, etiam seniorem factum rursus ad severam artem revertentem cernimus.

Ac de hac re forsitan iam ex ipsa ea tabula, quam Wüstius confecit, colligi possit: Fortasse enim nonnulla indicant iam in duobus primis Philippicis Ciceronem maiorem rursus operam clausulis tribuisse, modo animum intendas in summas disyllabarum et quadrisyllabarum clausularum collatis iis, quae Wüstius p. 55 et 59 disseruit, in numeros ditrochaeorum quadrisyllabis vocibus effectorum, denique in dochmiacas clausulas ex bisyllaba voce iambica praecedenti baccheo conformatas.

Nec vero ut his tam paucis parvisque iam fidas indiciis, postulo: quamquam hic vel maxime illud sit admonendum numerum non tamquam veste quadam detracta facile mutari. Sed Phil. XIV — qua oratione nullam ad hanc quaestionem

aptiorem eligi posse quis est qui non videat? — plane ad optimam accedere orationum classem luce potest fieri clarius.

Ac primum quidem animadvertas quaeso, quae ipse Wüstius p. 76 disserat:

„*Atque in prima classe* (*bisyllabas voces in fine ex-*
„*hibente*) *rationes numerorum perquam variant, ita quidem,*
„*ut in duabus prioribus periodis descendentium*
„*dimidium fere partem efficiant ascendentes, in*
„*extrema contra illae his superentur adeo numero.*“

Nonne mirum, quod in Phil. XIV rursus hae illis i. e. ascendentes descendentibus superantur numero [137])? Eadem fere condicio in classe quadrisyllabarum apparet: cum in oratione p. Dei. hab. haec sit descendentium et ascendentium condicio 25, 7 : 13, 9, in Phil. XIV talis est: 35, 8 : 11, 5, quare superat adeo orationes in Cat. (32, 4 : 10, 8) habb. et aequat fere or. p. Sulla hab. (34, 7 : 9, 5).

Maiore etiam voce omnium quadrisyllabarum summa clamitat, quae quidem in Phil. XIV numerum 47, 3 explet, ut adeo or. p. imp. Pomp. hab. (46, 1) superet. Plane idem singulae quoque quaedam clausulae nos docent: omnibus notum sit Ciceronem ex omnibus clausulis maxime adamasse ditrochaeum et compositam quandam huius formae ⏖⏑ | ⏑⏑–⏑ (ut ‚esse videatur‘) clausulam. Quid quod ditrochaeorum numero Philippica XIV (21, 3) vel orationem d. imp. Cn. Pomp. hab. (20) superat, quae et ipsa hac re inter ceteras optimae notae orationes excellat? Alterius vero modi clausularum numero (nempe 7, 9) Phil. XIV quam proxime accedit iterum ad or. p. imp. Pomp. hab. (8), quae et ipsa hac in re haud infimum tenet locum. Exstant autem hae clausulae (⏖⏑ | ⏑⏑–⏑) in his §§: 5. 9. 10. 12. 14. 17. 18. 20 bis [138]). 21. 31. 32. 34.

Haec sufficient, credo, ad id, quod volumus, probandum: Phil. XIV optimae classi esse ascribendam: una autem illud probavimus causam differentiarum inter singulas orationes Ci-

137) exstant enim ascendentes 6, 7 in centenis, descendentes 8, 5.

138) Nimirum finis huius paragraphi post *pācĭs ĭnĭmīcŭs* statuendus est (aliter interpungit Klotzius).

ceronianas intercedentium eam, quam attulit Wüstius generali quodam ex loco desumptam, fere nullam esse. Aliam igitur conemur reperire. Atque id quidem iam erit perspicuum Ciceronem, cum mutaret componendi rationem, id fecisse non quoniam semel natura vitae humanae tale fert, sed consulto certa aliqua causa permotum.

Qua in investiganda magno fortasse adiumento erit, si prius hanc quaestionem peregerimus: num Wüstius in circumscribendis suis classibus recte posuerit terminos. Atque illum quidem, quem inter Verrinas et or. d. imp. Cn. Pomp. hab. interposuit, iure esse positum omnes facile concedunt.

Sestianam vero haud difficile sit probatu optimarum potius orationum classi esse ascribendam. Id quod libenter mihi concedes, si disyllabarum et quadrisyllabarum clausularum summas nec non quinquesyllabarum comparaveris, si quae in classe disyllabarum vocum inter ascendentes et descendentes ratio intercedat, satis perspexeris, si in clausulas dochmii formam prae se ferentes animum intenderis[139]), denique si ditrochaeorum ex quadrisyllabis effectorum numerum sat amplum contemplatus eris.

Sic si terminum statuimus (nempe post Sestianam demum optimae periodi finem censemus esse), lucrari nobis aliquid videmur, quod valde desideremus. Nunc enim facile potest perspici, cur Cicero componendi rationem in peius mutaverit. Nam duobus modo annis ante quam Milonianam scripsit Cicero, Vatinium contra L. Licinium Calvum longe praestantissimum ex omnibus nova Atticorum disciplina imbutis oratoribus defendit (a. 54). De orationibus autem, quas Calvus in causis Vatinianis habuit, vide quae Wilamowitzius loco supra laudato iudicat: *‚Freilich war Cicero damals in seinem eignen*

---

139) De qua re en ipse Wüstius dicens (p. 63): *Dochmius qui sequitur in toto clausularum numero singularem quendam locum sibi vindicat: nam cum in duobus prioribus periodis fere aequabiliter ita appareat, ut unius numerum paulo fere egrediatur, inde ab oratione pro Sestio vel si mavis inde ab oratione pro Milone habita adeo corroboratur, ut numerum quinarum in orationibus quae sequuntur, in oratione pro rege Deiotaro adeo novem compleat.‘*

Handwerke nicht auf dem Laufenden und Calvus Vatiniusreden brachten ihm die bittere Erkenntniss, dass mit dem Sturz der Asianer auch sein Ruhm Gefahr liefe.‘ Num igitur adeo est mirum, si statuimus Ciceronem in orationibus insequentibus quamquam non omnibus in rebus concesserit Atticis, tamen id quidem studuisse, ut compositio non adeo artificiosa videretur? Nam illud non sit addubitandum, quin Ciceroni numerorum studium haud parvo Attici verterint opprobrio: id quod iam ex eo potest effici, quod Cicero in oratore suo tot verba tantamque diligentiam in hoc ipso tractando loco consumpsit: quo addas quae apud Quintilianum scripta videmus IX, 4, 53: ‚*At Cicero frequentissime dicit totum hoc constare numeris; ideoque reprehenditur a quibusdam tamquam orationem ad rhythmos alliget*[140].‘ Nec vero Cicero re vera ex vinculis numerorum se liberare aut potuit aut voluit: id tantum contendimus Ciceronem inde ab Miloniana, cum magis πραγματείᾳ operam dare studeret, neglegentius tractasse verborum numeros. Nec non inveniuntur manifesta huius neglegentiae exempla. Quid enim est notius quam quamvis adamaverint oratores numerum, tamen versus in prosa oratione vel maxime fuisse fugiendos. Itaque Wüstius satis demonstravit Ciceronem clausulam heroicam – ⏑ ⏑ – ⏑ evitare diligenter studuisse. Qua in re non ita multum ea exempla respicienda putat, quibus ex minore interpunctione (: ;) quaedam excusatio oboritur. At ne in minoribus quidem membris heroicam clausulam in disyllabam vocem finientem invenit (cf. W. p. 67 et 90). Quare licebit haec huius formae afferre exempla, quae apud Wüstium (p. 28—37) frustra quaeres, seu quod aciem oculorum fugerunt, quod nemo certe ei dabit opprobrio, seu quod certis commotus causis non inter clausularum numerum referendas duxit, quod item equidem ei non cum vituperio obicio, quamquam ab eo dissentio: Mil. 52

---

140) cf. etiam IX, 4, 1: *De compositione non equidem post M. Tullium scribere auderem . . . nisi et eiusdem aetatis homines scriptis ad ipsum etiam litteris reprehendere id collocandi genus ausi fuissent.*

hūiŭs ĭn 'īllŭm. 49 properāto ŏpŭs' ēssĕt. 90 īpsūm 'sĕd ăb' ūnō [141]).

Deinde Quintilianus IX, 4, 75 reprehendit, quod trimetri clausula in Ligariana invenitur: ‚*Sed initia initiis non conveniunt* . . . *nec clausulae clausulis*, *ut Cicero 'Quo me vertam nescio'* (Lig. 1), *qui trimetri finis est.*' Denique hanc addam clausulam diiambicam disyllaba voce conformatam (v. Wüst. p. 63 sqq.) Lig. 20 *senatui nĕcēsse ĕrăt:* quamquam invenitur in minore membro. Ceterum cum in his orationibus tot neglegentiae exempla, quorum numerus fortasse potest augeri, occurrant, nescio num medela quamvis facili opus sit, quam Wüstius adhibet, ut Lig. 29 effugiat diiambum ‚ignovĕrīt sŭīs': quin etiam illud contendo Dei. 24 clausulae quidem rationem non vetare, ne scriptum a Cicerone sic putemus ‚Alieno autem a te animo quo modo fuit?', quo de loco Wüstius p. 64 adn. non recte videtur rettulisse, quae praebeant codices, quid sentiant editores (vide Halmii adn. crit.).

Sed ut totum hoc caput tandem perficiam, sic complectar meam sententiam: orationes pro Milone, pro Ligario, pro Deiotaro [142]) habb., quod quidem attinet ad numerum, eximium quendam locum obtinere censeo.

Nec vero discedere ab hoc capite possum, nisi prius id affirmavero me huic secundariam tantum quandam vim tribuere ad iudicandum genus dicendi oratt. pro Ligario et Dei. habitarum nec omnino de numerorum ratione in his orationibus conspicua iudicium laturum fuisse, nisi iam ex prioribus huius dissertationis capitibus effectum censuissem aliud genus dicendi in his atque in ceteris orationibus Ciceronem assectatum esse.

---

141) Praeterea haec, quae minus offendant exempla, addi possunt: Mil. 77 civitātĕ mănērēnt. Lig. 9 quīd cŭpīēbās? 35 mē hoc mĕmĭnīssĕ.

142) De Marcelliana vide infra.

Cap. V.
De Marcelliana.

Cur hanc orationem seiunctim tractandam putaremus, unam iam supra causam obiter attigimus. Sed num omnino haec oratio in tractationem nostram adhiberi possit, alia est quaestio, quae vel prior sit diiudicanda. Cohaeret haec quaestio cum flagranti illa *νοθείας* nota, quam ei olim inussit Frid. Aug. Wolfius. Non est, cur vereantur regis philologiae manes, ne se plus semel iam exagitatas denuo ampliore disputatione velim excitare: non res mihi est cum ipso. Nam illud et mihi habeo persuasum nec iis, qui aliter sentiant, si quidem sunt, persuadere conabor aut nostram orationem aut nullam omnino, quae fertur sub nomine Tulliano, re vera esse Ciceronis[143]). Sed etiam plerisque Wolfi aliorumque reprehensionibus remotis permulta tamen adhuc quibusdam remanere videbantur et in verbis et in sententiis, quae offenderent: ut Eberhardius in praefatione editionis Richterianae iterum a se curatae haec dicit p. 11: ‚Dagegen sind der logischen und der sprachlichen Anstösse so viele, und das Bild, das von Cicero gegeben wird, ist ein so bedenkliches, dass aus pädagogischen Gründen die eingehende Erklärung in der Klasse nicht empfehlenswert erscheint[144]).‘ Cf. etiam Kelleri

143) Ne quis me arguat ut nimis petulantem parumque verecundum: qui quidem viri praestantissimi eximium sagacitatis et doctrinae modum etiam tum non possum non mirari, ubi manifestum sit male ea esse adhibita. Nec vero facere possum, quin plane me conspirantem fatear ascriptorem eius sententiae, quam Fr. Richterus in editione oratt. Caesarianarum his proposuit verbis: ‚*Und noch mehr, ich glaube auch nicht, dass Wolf sein Urteil ernst gemeint hat. Das lese ich aus dem Schluss seiner Vorrede: ea si displicuerit condicio, velim sibi persuadeant lectores memet ipsum exemplo Rossii non rem seriam agere, sed rectiora edoctum vineta mea caedere vel hoc totum genus criticarum suspicionum ne in imperitorum manus veniret, cavillando eludere voluisse: etiam haec possunt fieri, et v e r a s u n t i n t e r d u m, q u a e n o n s u n t v e r i s i m i l i a.*‘

144) Nos — ut paululum a propria causa aberremus — ne hoc quidem huic editori concedimus Ciceronis mores ex hac oratione deteriores

programma, qui inscribitur ‚nonnulla de Ciceronis oratione pro M. Marcello' (Ratibor. 1845) p. 22. Quare alia exstitit opinio haec orationem pro Marc. hab. non ab ipso Cicerone editam nec propterea limatam esse; quam opinionem proferunt Keller (‚Ciceros Rede für den M. Marcellus lateinisch und deutsch mit Anmerkungen. Ratibor 1860') p. 3: ‚*Die Frage aber, welche sich notwendig an den eben angeführten Punct knüpft, wer die Rede aufgezeichnet habe, da Cicero dies sicherlich nicht gethan hat, lässt verschiedne Möglichkeiten als Antwort zu* . . .' et Richter-Eberhardius p. 9: ‚*In überarbeiteter Gestalt liegt uns die Rede sicher nicht vor, möglichenfalls sogar nur in der Niederschrift der Tachygraphen.*' Quod si recte se habuerit iudicium,

---

apparere quam ex ceteris: immo vero nostro quidem iudicio haec oratio, quantum ad hanc sententiarum partem attinet, sane bene contentionem sustinet cum Ligariana, quae quidem paene efficiat, ut Ciceronem, quem alioquin saepius vel despicere coacti sumus, propter ingenuitatem et libertatem animi, quae hic elucet, diligamus ac suspiciamus. Ac de Ligariana quidem confer, quae Halmius in praefatione editionis suae ex Drumanni libro affert: ‚Nur ein Cicero konnte unter so peinlichen Verhältnissen die Würde und Freimütigkeit des Republicaners mit der Feinheit und Zurückhaltung des Hofmannes vereinigen.' In Marcelliana vero talis animi oratoris primum testis est tota orationis inventio. An non viri fortiter animoseque agentis est laudationis rationem sic constituere, ut in altera eius parte principi ea ponat ante oculos, quae reliqua sint, ut fiant? Deinde singulares quoque passim inveniuntur sententiae, quae dicendi libertatem indicant, ut § 24: *multaque uterque dux faceret armatus, quae idem togatus fieri prohibuisset.* § 29 *servi igitur eis etiam iudicibus, qui multis post saeculis de te iudicabunt et quidem haud scio an incorruptius an nos, nam et sine amore et sine cupiditate et rursus sine odio et sine invidia iudicabunt.* Ex § 22 extrema equidem puto nil nisi desiderium pristini reipublicae status apparere: ‚*doleoque cum respublica immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima consistere.*' Eadem fere ratione haec quae § 29 leguntur, explicanda puto: ‚*nisi belli civilis incendium salute patriae restinxeris.*' Sic enim ea censeo interpretanda: ‚wenn du nicht den Bürgerkriegsbrand (hoc valet ‚die Bürgerkriege überhaupt') durch die Wiederherstellung des Vaterlandes (i. e. durch die Wiederherstellung der alten republicanischen Verfassung) gelöscht (i. e. für immer beseitigt) haben wirst.' Hac interpretatione id simul lucramur, ut locutio ‚incendium b. c. salute p. restinguere' non ita inusitata et audax videatur (cf. Richter-Eberhardi adnot. et Wolfianam edit. p. 63).

luce clarius sit Marcellianam in tali, qualis nostra, quaestione nec deberi nec posse respici. Sed non possum adsentiri huic opinioni. Primum enim equidem, quae necessaria quadam vi huic sententiae nos alliget, causam prorsus non video. Ac de singulis quidem locutionibus et sententiis, in quibus quidam haerebant, hic dicendi locus non est; nisi qua ex ipsis, quae infra de genere huius orationis disserentur, ad hunc locum redundabunt: sed unum, quod vel ad inventionem vel ad dispositionem attinet, non possum hic non commemorare. Saepius enim viri docti id commemoraverunt hanc orationem ex duabus plane inter se seiunctis partibus constare, quarum altera orator Caesari gratias ageret §§ 5—20, altera §§ 21—32 ad ea responderet, quae Caesar de insidiis inimicorum protulisset. Cf. Richter-Eberhardium praef. p. 9: ‚*Als Erwiderung auf Caesars Ansprache nimmt sie aus dieser ihre Anordnung in zwei Teile, die kein andres Band unter sich verbindet.*‘ Si profecto res ita se habeat, si conexus singularum partium re vera sit tam dissolutus, mihi quoque hoc argumentum satis indicare videatur orationem nostram a Cicerone non ad editionem perpolitam limatamque esse. Sed — pace dicam virorum multo me doctiorum — hac de re magis externa orationis specie (cf. § 21: ‚Nunc venio ad gravissimam querellam et atrocissimam suspicionem tuam e.q.s.‘) adducti iudicaverunt quam internum sententiarum nexum ac progressum respicientes. Mihi vero huius orationis dispositio multo magis quam in panegyrico atque ex tempore quidem, ut aiunt, perorato exspectares, videtur accurata et diligens. Longum est omnes hic particulas ut bene et cohaerentes et procedentes detegere: pauca sufficient, quae ad nexum duorum illorum capitum illustrandum erunt idonea. In prooemio, quod continetur primis quattuor paragraphis orator et causam et occasionem dicendi indicat. Sequitur inde a paragrapho quarta usque ad tricesimam alteram ipsa laudatio: quam excipit epilogus §§ 33 et 34, quo breviter iteratur gratiarum actio, ‚ut unde sit orsa, in eodem terminetur oratio.‘ Laudatio vero sane in duas est divisa partes, sed quae pari modo spectant ad ipsam laudationem: quarum altera (§§ 5—20)

gestae iam ab eo, qui laudatur, res, in altera (§§ 21—32) gerendae adhuc respiciuntur. Luce enim est clarius commemorationem insidiarum, quae Caesari a quibusdam parari dicebantur (§§ 21 et 22) transitum modo efficere ab altera ad alteram partem, et proprium secundae partis argumentum non tam contineri his verbis ,*nunc venio ad gravissimam querellam* e.q.s.' quam his: ,*Omnia sunt excitanda tibi, C. Caesar, uni, quae iacere sentis belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculsa atque prostrata: constituenda iudicia, revocanda fides, comprimendae libidines, propaganda suboles, omnia quae dilapsa iam diffluxerunt severis legibus vincienda sunt*[145]).' Sed ne quis mihi occurrat interrogans, quonam modo gerendarum rerum mentio ad laudem posse spectare, ut id praemuniam: quae potest fingi maior laus, quam quod unius, qui laudetur, ingenium ac potentia tanta praedicetur, ut futurarum rerum salus in hoc uno consistere, ab hoc uno exspectari et deberi et posse dicatur[146])? Atque illum quem modo deteximus, transitum elegantioris esse artis mihi quidem habeo

145) Quo nos Richter-Eberhardi sententia rapiat, optime demonstrant, quae ad initium cap. X adnotat: ,*Nachdem Cic. episodisch den Caesar an seine hohe Aufgabe gemahnt hat, kehrt er mit einem Rückblick auf die jüngste Vergangenheit zu dem Hauptthema dieses Theils zurück.*' At ille quem dicit excursus septem paragraphos explet, proprium quod vult huius partis argumentum quattuor tantum continetur paragraphis. Quomodo id congrueret illis, quae Quint. IV, 3, 17 de egressione praecipit: *At qui ex media erumpit, cito ad id redire debet, unde devertit?* Quod autem re vera orator cap. X ad id revertitur, quod cap. VII protulit, ne id credas contra nos pugnare, memineris velim, quae sit huius orationis condicio: loquitur orator apud omnes senatores, sed alloquitur unum. Qui autem aderant, inter eos non dubitandum est, quin fuerint, qui Pompei partibus studerent, certe qui eodem essent animo atque orator. Ad hos initio cap. X sermonem quasi avertit a Caesare hortans eos, cum semel ostendit in uno Caesare positam esse patriae salutem, ut victi victoris aequitate abiectis omnibus odiis invidiisque ,omnes unum velint' i. e. pro sua parte Caesarem in opere difficillimo adiuvent. Hortatus hos et quasi nactus eorum vota § 32 haec refert ad Caesarem ,*nisi tu, C. Caesar*' e.q.s.: quibus votis nimirum id una continebatur omnes velle patriae restitutoris vitae et saluti consulere.

146) Ne quis nos credat immemores esse eorum quae adn. 144 diximus: videmur nobis non constare, sed videmur tantum.

persuasum: nempe cum plerumque id sit statuendum veteres oratores, si quas ad editionem perpoliebant orationes, iis eam studuisse induere speciem, quasi re vera sic, ut legebantur essent habitae, sic Cicero hic, cum re vera bene disposuisset, speciem malae contaminationis duas illas partes prae se ferre iussit, cum dispositionem ad ea tantummodo capita, quae ipse Caesar attigerat, accommodasse se simularet.

Sed, ut tandem ad nostram causam revertamur, etiam, si ipsius orationis formae nullam iam haberemus cognitionem, tamen verisimillimum iudicare oportebat eam ab ipso Cicerone editam fuisse. An quonam tandem modo factum fingitis esse, ut Ligariana et Deiotariana ederentur — nam de illa id nemo infitiabitur, de hac epistulae cuiusdam testimonium habemus — Marcelliana scriniis retineretur? Immo vero ut ederet hanc, quam primam postquam tamdiu tacuit, habuerat, permultae eum causae debebant commovere. Quicunque enim norunt mores Tullianos, id certe mihi concedent libentissime eum occasionem arripuisse ‚diuturni silentii finem faciendi‘: certe non aequo animo tulerat, quod tamdiu eloquentiae principis voce et forum et curia carere debebat. Iam hoc vano gloriae studio commotus curaverit, ut statim etiam pervulgaret orationem. Accedit quod properavit Cicero consentientem se cum novo rerum statu profiteri: ut ipse in illa saepissime laudata epistula, fam. IV, 4, 4 haec dicit: *‚effugi eius offensionem, qui fortasse arbitraretur me hanc rempublicam non putare, si perpetuo tacerem‘:* quem suum animum quin quam primum in publicum quoque prodire voluerit, mihi quidem non est dubium.

His omnibus id certe assecutos nos putamus, ut nostro iure Marcellianam quoque in hac tractatione respicere possimus.

Cuius orationis plane est alia condicio ac ceterarum orationum Caesarianarum. Nam cum Ligarianam et Deiotarianam prius etiam quam ipsam elocutionem perlustraremus, propter quasdam causas extrinsecus allatas probabile fuerit ad Atticam accedere dictionem, de Marcelliana potius contrarium quiddam contendi poterit. Primum enim eius generi, quippe

quae in panegyricorum numero sit habenda, sane non apta fuisset dictio tenuis. Quod quo facilius tibi persuadeas, scias velim ipsum Lysiam in panegyricis a propria dictione sua aliquantulum recessisse magisque ornatam sibi adscivisse. Cuius rei et superstites eius orationes sunt testes et Dionysius Halicarnassensis, qui haec de hac re iudicat in iud. Lys. c. XXVIII p. 518 sq. R.: *Ἐν μὲν δὴ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς λόγοις μαλακώτερος, ὥσπερ ἔφην. βούλεται μὲν γὰρ ὑψηλότερος εἶναι καὶ μεγαλοπρεπέστερος καὶ τῶν γε καθ' ἑαυτὸν ἢ πρότερον ῥητόρων ἀκμασάντων οὐδενὸς ἂν δόξειεν εἶναι καταδεέστερος· οὐ διεγείρει δὲ τὸν ἀκροατὴν ὥσπερ Ἰσοκράτης ἢ Δημοσθένης*, collato c. III p. 459 R.: *Λυσίας δὲ τοιοῦτον* (sc. ornatum) *οὐδὲν ἤσκησεν . . . ποιῆσαι, πλὴν εἴ τι μικρὸν ἐν τοῖς πανηγυρικοῖς.*

Deinde ne Caesaris quidem in hac oratione tanta ratio habenda fuit, quanta in oratt. pro Ligario et Deiotaro habitis. Nam in his apud eum dixit eumque est allocutus, a quo aliquid erat impetraturus, liberationem scilicet reorum: quo magis orator, ut auditoris aures captaret, id genus, quod ille adamaverat, adsciscere debebat. Contra in Marcelliana, quippe quae quamquam uni viro gratiae agebantur, tamen utpote laudatio non magis ad eum, qui laudabatur, quam ad eos, apud quos ille laudabatur, spectaret, multo magis oratori licuit sua dicendi consuetudine exsultare.

Quae cum per se spectata iam sint verisimilia, vera reperientur ipsa huius orationis elocutione ante oculos posita.

Ut unde consuevimus, ab latinitate exordium capiamus, maxime haec te offendant:

§ 10 longe praestantissimi codices G (emblacensis) et E (furtensis) haec praebent: ‚*omnium Marcellorum meum pectus memoria obfudit*‘: cuius mutandae scripturae nullam video causam, quamquam qui locus Taciteus Ann. 11, 31 ‚satis constat eo pavore offusum Claudium‘, haud iniuria comparandi causa afferri solet, non omnibus partibus satisfacit. Sed liberiore vel singulari quadam constructione usus Cicero obfundendi verbum ut hac significatione praeditum = *sich über etwas ergiessen, etwas überströmen* usurpavit[147]).

147) cf. Richter-Eberhardi adn.: ‚*offudit* *stärker als subiit o. ä.*‘

Cuius structurae nescio an *ἀνάλογον* quiddam quadam quidem ex parte in praecedente paragrapho 9 invenias: *‚eiusmodi res ... obstrepi clamore militum videntur‘*, ubi verbum intransitivum passive enuntiatur, quem usum Hellmuthius l. l. § 20 ‚haud dubie e Graecorum sermone in Latinum irrepsisse‘ contendit. Nescio num recte: sed cum semel ad graecismos pervenimus, vide num huc *ἀνακόλουθον* illud, quod § 17 extr. conspicitur, possis referre: *‚alterius vero partis nihil amplius dicam quam id quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam.‘* Ad quem locum Richter-Eberhardius haec adnotat: *‚der Satz wird durch eine Parenthese unterbrochen, an deren Verbum sich der Überrest anschliesst, vgl. etw. de off. I,* 22: *‚quoniam ..., ut placet stoicis, quae ... gignantur, ad usum hominum creari.‘ Weit häufiger so die Griechen, besonders Plato; Krüger Gr. Sp.* 55, 4, 7.‘ Quamquam nescio an hoc loco omnia recte se habeant, nisi quod illa *‚alterius vero partis‘* insolentiore quodam modo sint transposita.

Ex familiari dicendi consuetudine sumptum sit § 10: ‚reliquum facere‘ pro ‚relinquere‘: de qua locutione v. ad Philipp. XIII, 48. Huc eodem forsitan in eadem paragrapho sit referendum ‚commemorabilis‘ vocabulum pro magis apud Ciceronem pervulgato simplici ‚memorabili‘ cf. Wolfi adnot.: *‚Commemorabili pietate vel alia virtute praeditus nemo reperitur apud Ciceronem, etsi hoc genus laudis ei frequentissimum est, et memorabili fortasse usus esset fideliore memoria Scriptor.‘*

Procul dubio volgarem sermonem ille pleonasmus (§ 14) ‚prudens et sciens‘ redolet.

§ 31 *‚arma ab aliis posita, ab aliis erepta sunt‘*. De hac structura videntur respicienda, quae docet Hellmuthius l. l. § 57: *‚Verbum eripere vulgo ita usurpatur, ut persona, cui aliquid eripitur, dativum casum accipiat. Haec constructio in oratt.* 67ies ... *legitur. At in Verrinis non raro prae-*

Ciceronem in hac oratione libentissime significantiora vel insigniora arripuisse aliis quoque locis potest ostendi, cf. quae infra de voce vacuus disseremus.

positio ‚ab' ex hoc verbo apta est, quae constructio postea duobus locis recurrit' (sc. nostro et in Vat. 29). Quamquam nostro loco non sit neglegendum, quod insolentiorem structuram fortasse contrapositum: ‚ab aliis posita, ab aliis erepta' effecit. Adde: § 19 ‚felicitati gratulabere' = ‚du wirst dir zu deinem Glücke Glück wünschen': cuius structurae quamquam Wolfius non recte omnino eam Ciceroni abiudicavit, exempla nulla nisi ex epistulis afferuntur.

§ 25 ‚credo, sed tum id audirem', quod idem fere significat ac 'probarem' et nostrum ‚das lässt sich hören'. Quae formula quin ex familiari sermone sit orta, nemo dubitabit.

Denique praetereundum non sit, quod § 32 invenitur substantivum ‚oppositus' apud Ciceronem quidem ἅπ. λεγ.: sed vide quae ipse Wolfius de hoc substantivo adnotat: *‚In verbis, quibus turpis sententia exprimitur, ne quem offendat ἅπαξ λεγόμενον oppositus, quia has formas vocabulorum maxime frequentavit argentea aetas: vix aptiorem vocem h. l. ipse Cicero in promptu habuisset.'*

Postremo hic commemorem § 17:

gladium vagina vacuum in urbe non vidimus: quae locutio nimis fere captata videtur et quaesita. Nam ut taceam oratorem nihil aliud hac indicare quam proscriptionem nullam fuisse, in ipso illo eligendo vocabulo 'vacuus' pro pervulgato 'strictus', 'nudatus' vel simili insignius quiddam Tullium appetivisse mihi habeo persuasum. Valet enim ni fallor hoc vocabulum non tam idem quod nostrum 'leer', quam quod 'ledig', 'befreit', quare coniunguntur '*vacuus periculo*', '*v. curis*', quo eodem pertinet absolutus huius vocis usus = otiosus, ne multa lubenter de rebus molestis usurpatur, ut apud nostrum Verr. IV, 10, 23, *soli . . . his quidem temporibus in omni orbe terrarum vacui, expertes, soluti ac liberi ab omni sumptu, molestia, munere*[148]). Sic nostro

148) Apte ii quoque ad comparationem afferantur loci, ubi vox vacuus idem valet ac domino carens (nos 'vacant'), ut Caes. b. c. III, 112 ‚vacuam possessionem regni sperans' et inprimis Liv. XXVII, 16 vacuus equus = sine sessore, 'lediges Ross'.

loco vagina vacuus dicitur gladius, qui vagina quasi vinculis seu carcere liberatus exsultet tamquam et in caede versetur[149]. Praeterea orator in eligendo vocabulo fortasse allitterationis quodam studio ducebatur '*vagina vacuum* ... *vidimus*', sic ut in Phil. XII, 8 illo '*casta a cruore civili*', quod supra inter allitterationes attulimus: praesertim cum alibi quoque in hac oratione tale eluceat studium, ut § 12 *victoriam vicisse videris.* ibid. *victoriae condicio visque devicta est.* § 24 *tanto animorum ardore et armorum.*

Quae omnia quamquam tantum abest, ut propterea hanc orationem suppositiciam ducamus, ut ne id quidem concedamus iis commoti Marcellianam a Cicerone ad editionem non praeparatam esse, tamen id certe impedient, quominus huic orationi Atticae dictionis laudem tribuamus.

Quod iudicium confirmabitur troporum contemplatione:

§ 2 *in nostro vetere curriculo — quasi quodam socio a me et comite distracto.* ib. *mihi meae pristinae vitae consuetudinem interclusam aperuisti.* ib. *ad bene sperandum quasi signum aliquod sustulisti.* § 4 *flumen ingenii.* § 5 *nec vero disiunctissimas terras citius passibus cuiusquam potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis, lustratae sunt:* (qua hyperbole num quid successerit orator ex suo quisque sciscitetur sensu). § 6 *in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum* e.q.s. *multum iuvant.* § 9 *eiusmodi res etiam cum leguntur, obstrepi clamore militum videntur.* § 10 *parietes, me Deus Fidius, ut mihi videtur huius curiae tibi gratias agere gestiunt.* § 12 *victoriam vicisse videris.* § 14 *mea consilia pacis et togae socia, non belli atque armorum.* § 17 *eos Martis vis perculit, non ira victoriae.* ibid. *ex eadem acie conservat quos potest.* ibid. *nimis iracundam futuram fuisse victoriam.* § 23 *quae dilapsa iam diffluxerunt, severis legibus vincienda sunt.* § 24 *animorum ardore et armorum.* ib. *quassata res publica.* ib. *multaque uterque dux faceret armatus, quod idem togatus fieri prohibuisset.* ib. *belli*

149) Una mihi videor ostendisse et bene Latine locutum esse Tullium, cum haec coniungeret 'vagina vacuum' et longe tenuis oratoris fines egressum.

vulnera sananda sunt. § 25 *ut fundamenta nondum, quae cogitas, ieceris.* § 27 *patriae quod debes solveris.* ib. *hic restat actus.* § 28 *vita quam posteritas alet.* § 29 *nisi belli civilis incendium salute patriae restinxeris.* ib. *vagabitur modo tuum nomen longe atque late, sedem stabilem et domicilium certum non habebit.* § 30 *ut tuas laudes obscuratura nulla unquam sit oblivio.* § 31 *qui . . . animum tamen retinet armatum.* § 33 *maximas tibi gratias agimus, maiores etiam habemus.* § 34 *maximus hoc tuo facto cumulus accesserit* [150]).

Multo conspicis plures multoque audaciores et exquisitiores tropos quam in Ligariana et or. p. Deiot. hab. Attamen pro epidictico genere modice adeo oratorem tropicam dictionem adhibuisse fortasse concedes: dummodo quosdam tropos, quos supra (cap. II) ex aliis orationibus congessimus, memoria teneas. Equidem hic perpauca tantum exempla afferam, quae cum iis, quibus in nostra oratione facile offendaris, comparata nec minus et magis inveniantur exquisita: cum § 10 velim conferas Phil. II, 17. 33. XIV, 6. Cum duobus illis oxymoris quae leguntur § 12 et 33, quorum alterum *‚maximas tibi . . . gratias agimus, maiores etiam habemus‘* re vera vix in eo numero esse habendum optime Kelleri interpretatio docet *‚so sagen wir alle dir den innigsten Dank, C. Caesar, innigeren noch bewahrt unser Herz‘* compares quaeso illud ‚insepultam sepulturam‘ ex Phil. I adnotatum et cetera ex aliis oratt. congesta oxymora. Praeterea si vis ad § 27, cf. Phil. II, 34.

Abundantiam nimiam compluribus locis Wolfius huic orationi obicit haud plane iniuria. Nam συναθροισμοῦ figurae haec inveniuntur exempla 14: 4 *aut nobilitate aut probitate aut optimarum artium studio aut innocentia aut ullo laudis genere.* 5 *nec contentionum magnitudine nec numero proeliorum nec varietate regionum nec celeritate conficiendi nec dissimilitudine bellorum.* 8 *gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abun-*

---

150) Non mirabor, si in hac oratione plures etiam quam in ceteris omisisse tropos coarguar, ut § 10 illa auctoritas § 27 amore flagravit.

dantes. ibid. *animum vincere, iracundiam cohibere, victoriae temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute praestantem non modo extollere iacentem . . .* 9 *aliquid clementer, mansuete, iuste, moderate, sapienter factum.* 10 *quem praesentem intuemur, cuius mentem sensusque eos*[151]) *cernimus.* ibid. *quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benevolentia complectemur?* 23 *constituenda iudicia, revocanda fides, comprimendae libidines, propaganda suboles, omnia* e.q.s. 26 *magnorum vel in suos vel in patriam vel in omne genus hominum fama meritorum.* 27 *haec igitur tibi reliqua pars est, hic restat actus, in hoc elaborandum est.* 28 *illa vita est tua, quae vigebit memoria seculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa aeternitas semper tuebitur.* ibid. *Obstupescent posteri certe imperia, provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera triumphos audientes et legentes tuos.* 34 *Cum id sollicitudine, cura, labore tam diu praestiterim . . . certe hoc tempore magnis curis, molestiis, doloribus praestare debeo.*

Praeterea vide quam tumidus et opimus sermo copulatis duobus synonymis saepius eluceat: ut § 2: *dolebam enim, patres conscripti, et vehementer angebar virum talem, cum in eadem causa, in qua ego, fuisset, non in eadem esse fortuna, nec mihi persuadere poteram nec fas esse ducebam versari me in nostro vetere curriculo illo aemulo atque imitatore studiorum ac laborum meorum quasi quodam socio a me et comite distracto,* vel § 30: *Diversae voluntates civium fuerunt distractaeque sententiae; non enim consiliis solum et studiis, sed armis etiam et castris dissidebamus.*

Adde has copulationes: 4 *merito atque optimo iure.* 11 *multo magnoque comitatu.* ib. *conficiat et consumat.* 14 *pacis et togae — belli atque armorum.* 15 *cum esset incertus exitus et anceps fortuna belli.* 22 *tantae latebrae et tanti recessus.* 23 *perculsa ac prostrata.* ib. *quae dilapsa iam diffluxerunt.* 29 vide hunc locum inter tropos. ib. *et sine*

---

151) accipiendum puto Faerni coniecturam.

amore et sine cupiditate et rursus sine odio et sine invidia iudicabunt. 31 *qui in acie cecidit, qui in causa animum profudit.* 32 *excubias et custodias.* ib. *laterum oppositus et corporum.* — Quorum exemplorum numerus facile potest augeri. Satis iam multa attulisse nos ducimus, cur huic orationi non Atticae dictionis laudem tribuamus, nec tempus terere oportere in enumerandis figuris.

Restat ut perpauca addamus de compositione. Marcelliana verborum quidem numeris plane earum ascribenda est classi orationum, inter quas secundum tempus, quo est habita, incidit. Cum in hac quoque oratione manifestum sit Ciceronem numeros verborum plane neglegenter tractasse. In haec inprimis animum tuum vertam: Summa omnium clausularum bisyllabis vocibus effectarum adaequat eam, quae in Ligariana apparet, 21, 3 = 21, 2; itemque numerus quadrisyllabarum clausularum (31, 4) minor est quam omnium ceterarum orationum: quarum rerum de vi vide supra (p. 54). In classi bisyllabarum vocum descendentes clausulae ascendentibus superantur numero: 11, 8 — 9, 4 = 2, 4: quadrisyllabarum clausularum inter descendentes et ascendentes minima omnium orationum intercedit differentia: 20, 9 — 10, 4 = 10, 5, cum etiam in orat. p. Deiot. hab. 11, 8 (25, 7— 13, 9) numero ascendentes descendentibus superentur.

Dispondeus trisyllaba voce effectus antecedente syllaba producta – | – – – in optima periodo numerum 2 non egreditur, in or. p. Dei. hab. 3, 3 assequitur, in Marcelliana adeo 4, 3.

Adde huius formae – : – : – | ◡ – clausularum numerum 4, 4 comparatum cum ceteris orationibus. Denique clausula heroica molestissimi illa quidem generis nempe effecta voce quinquesyllaba invenitur § 21: ēxtĕnŭābō (·): quae clausula eo maioris debet esse momenti, quod non excusatur minore interpunctione. Illud enim plane puto neglegi posse, quod leviores codices praebent ,extenuabo *verbis*', de qua interpolatione vide Baiteri adnotationem criticam in editione Orelliana altera. His peractis iam ad epilogum transire nos putamus posse, quo quae effecisse nobis videmur de genere

nostrarum orationum, complectemur atque pauca addemus de toto cursu, qualem nobis fingamus, eloquentiae Tullianae.

Cap. VI.
Epilogus.

Ostendisse nobis videmur primo et altero capite puriorem elegantioremque, tertio minus ornatum tumidumque Ciceronem fuisse in oratt. p. Q. Ligario et rege Deiotaro habb. quam in ceteris: quod si coniungimus ratiocinatione cum iis, quae in prooemio disseruimus, nempe si mutata in his orationibus appareret Ciceronis eloquentia, id non casui tribuendum esse, sed certo cuidam oratoris consilio, nemini iam erit dubium, quin Tullius pro salute eorum, pro quibus dicebat, ratione habita eius, apud quem verba faciebat, aliud atque in quo inveteraverat, genus dicendi appetiverit: nec potest illud aliud genus esse aliud quam Atticum: quae quidem sententia nostra non modo non oppugnatur, sed aliqua quidem ex parte confirmatur etiam iis, quae in quarto capite de compositione erant disserenda.

Voluit igitur certe Cicero in his quae aguntur, orationibus videri Atticus: nunc num quod voluerit, sit assecutus, quaeramus. Atque in Ligariana plane eum fuisse, quem se esse voluit, nemo sit, quin concedat nisi iniquissimus rerum existimator. Minus fortasse prospere, quod ei erat propositum, in or. p. Dei. hab. peragebat. Nam in hac non possumus non notare quaedam ut parum elegantia: cf. quae in primo huius dissertationis capite ex Dei. §§ 19. 21. 26 attulimus, ut nimis ornata (vide quae cap. III § 3 ex Dei. § 30 (s. v. contraposita) § 10, § 31 (s. v. ὁμοιοτέλευτα) congessimus), denique ut nimis abundantia (vide cap. III § 4). Atque ego nescio, an ipse Cicero tale quid senserit in hac oratione non se confecisse, quod constituisset: mihi quidem etiam atque etiam opinio obtrusa est illam ad Dolabellam Ciceronis epistulam (ad fam. IX, 12) huc esse referendam, ubi in § 2 haec scripta videntur:

„Oratiunculam pro Deiotaro quam requirebas, habebam „mecum, quod non putaram. Itaque eam tibi misi, quam „velim sic legas ut causam tenuem et inopem nec scriptione „magno opere dignum. Sed ego hospiti veteri et amico „munusculum mittere volui levidense crasso filo, cuiusmodi „ipsius solent esse munera.“

Qua ex epistula id certe efficere possumus Ciceronem non ita magni fecisse illam oratiunculam, ut etiam Halmius explicat: *‚Darf man einer Äusserung Ciceros in einem Briefe an seinen Freund Dolabella Glauben schenken, so hat er selbst auf seine Rede keinen hohen Werth gelegt.‘* Nec si locum hunc eo, quo equidem velim referimus, opus est aut Drumanni explicatione, quam Halmius quoque accepit *‚in dem Caesarianer sollte nicht der Verdacht entstehen, dass die Angelegenheit des Mannes ihn länger beschäftigte als es eben die Verhältnisse erforderten.‘* aut Richter-Eberhardi *‚über seine Rede urteilt Cicero mit erheuchelter Bescheidenheit.‘*

Sed omissa hac re, quoniam semel demonstravimus Ciceronis eloquentiam non caruisse mutationibus, liceat nobis perpaucis lineamentis totum Tullianae eloquentiae cursum adumbrare. Qua in re summi erit momenti indicare, quid de Philippicarum genere dicendi iudicemus. Ac Hellmuthius quidem p. 5 hanc protulit sententiam:

„Ceterum hic monendum est haud paucas proprietates „non solum in primis orationibus, verum etiam intermissis „mediis, in extremis i. e. in orationibus Philippicis comparere. Quod cum casu factum esse non possit, certa ratio „investiganda est, ex qua Cicero ad pristinum dicendi morem recurrerit. Ac mihi quidem inprimis haec valere „ratio videtur. ' Philippicae orationes non sunt adnumerandae „iis, quae ad sublime dicendi genus se applicant et verborum ornatu illustratae ac distinctae sunt, sed potius mediocrem orationem sequuntur et asperis audacibusque vocibus in Antonium Ciceroni inimicissimum refertae sunt. „Itaque Tullius non orationis vel copiosae vel elegantis ornatu ac suavitate animos eorum, qui audiunt perfundere, „sed omnem vim eloquentiae ad castigandum atque pervel-

„lendum inimicum conicere et magis res quam verba inten-
„dere studet.“

Quae sententia habet sane aliquid, quod omnibus fere valde arrideat quoque commoti vel ipsi quin ascriptores eius fateremur, non multum afuit. Iustum enim iudicium tulit Hellmuthius de ea re, qua mente ac voluntate Cicero has orationes scripsisset, sc. ut ‚omnem vim eloquentiae ad castigandum atque pervellendum inimicum conicere studeret.‘ At alterum quiddam non plane videtur perspexisse, nempe quod dicit ‚Philippicas orationes non esse adnumerandas iis, quae verborum ornatu illustratae ac distinctae sunt.‘ Nam omissa tropica dictione, quam et ipsam ad vim orationis spectare sane sit concedendum, omissa etiam abundantia, quam iterum quasi ad obruendum totum adversarium valere concedamus, tamen permulta remanent quaesiti ornatus vestigia, insigniora etiam magisque eo respicienda, quod id certe est statuendum non nimium Ciceronem aut temporis aut diligentiae in his elaborandis consumpsisse orationibus. Revoca tibi in mentem ἀντιστροφῆς exempla, revoca contrapositorum, quae partim ad verbum excerpsimus partim, ubi invenirentur, indicavimus, revoca quot quam artificiosa homoioteleutorum exempla attulerimus. Denique prae ceteris id tibi veniat velim in mentem, quam insignes annominationes et allitterationes in his occurrant orationibus: iam puto fore, ut desinas de una illa cogitare causa. Et ipsae illae, quarum postremo loco mentionem fecimus, annominationes et allitterationes quasi obtrudunt animis nostris aliam causam rursus mutatae Ciceronis eloquentiae: ne multa, facere non possum, quin Ciceronem in Philippicis magis se etiam quam in mediae suae aetatis orationibus Asiatico dedisse generi cogitem. Id quod facilem sane habet explicationem. Liberatus enim interfecto Caesare ab hoc, quod illi quidem videbatur, regno cum totius reipublicae tum iudiciorum et comitiorum, magis quasi exsultavit Cicero nec solum recepit se ad illud dicendi genus, quod modo tamquam invitus reliquerat, sed id etiam est egressus. Accessit, quod hoc ipsum Asianum dicendi genus inprimis propter volgarem redundantemque dictionem procul dubio ei, quod

his orationibus persequebatur, consilio vel optime convenit: ac sic quidem quadam ex parte cum Hellmuthio consentio.

Hunc igitur fere cursum Tullianam eloquentiam censeo tenuisse: initio quidem noster plane obstrictus erat genere Asiatico; cuius in vinculis, quamquam iam auctore Molone mutandae dictionis cepit consilium, etiam reversus e Graecia remansit: inde autem ab oratione d. imp. Cn. Pomp. hab. magis magisque proprium quasi medium genus sibi conformavit, id quidem, quo multo magis quam inventioni elocutioni inprimisque concinnitati et numerositati serviret: deinde, cum a. 54 sensisset iam non se unum certe auditoribus probari, quamquam in ceteris quidem rebus ne tantulum quidem novo, quod Atticum nomen sibi vindicabat, generi concessit, tamen inde ab Miloniana id fortasse ei tribuebat, ut quadam ex parte compositionem minus praevalere vellet: plane autem studuit quidem Atticos imitari in oratt. p. Ligario et Deiotaro habb. singularibus quibusdam commotus causis: postremo in Philippicis rursus ad iuvenilem recessit dictionem.

Addenda et corrigenda.

Ad pag. 2 v. a supr. 9/10: Ceterum errat Landgrafius l. l. p. 8 n., cum ex his Tusc. II, 1, 3, ,*qui iam conticuerunt paene ab ipso foro irrisi*' concludere se posse putet ,*in sequentibus iam annis* (43/44) *Atticos inferiores evasisse*'. Nam plane idem Cicero Brut. 289 pronuntiat ,*At cum isti Attici dicunt, non modo a corona* . . . *sed etiam ab advocatis relinquuntur*', eo ipso tempore, quo eum necesse habuisse contra istos Atticos suum dictionis genus defendere ipse Landgrafius concedit.

Pag. 3 v. a supr. 22 legend. est *Berbigi*, non *Berbigii*

ib. „ „ 26 „ „ *cognoscenda*, non *cognoscendum*

Cap. I § 2 pag. 10 adde: Mil. 29, 79 ,*quin sic attendite iudices*' cf. Draeger ,Histor. Synt.' p. 301. — Phil. I, 12 ,*sibi ipsum displicere*' = '*verstimmt sein*' cf. Krausium l. l. p. 13.

Pag. 11 v. 1. Quem priorem locum ex ep. ad Att. IX, 13 attulimus forsitan non fas sit in numero ceterorum locorum haberi.

Pag. 14 not. 58 adde Verr. V, 160 ,*hanc urbem* . . . *furtorum receptricem*'.

Ad cap. I § 5 pag. 15. Cum locutione ,c e n t e s i m a l u x' prae ceteris locis cf. Ov. Pont. IV, 5, 8

,*luce minus decima dominam venietis in urbem*'.

et Stat. silv. II, 361: ,i l l a l u x'. — Fortasse non ita huc quadrat, quem locum ex Ov. Trist. I, 11, 39 attulimus, ubi *brumalis lux* non tam idem ac dies quam tempus brumale valet.

Ad pag. 29 v. 12 a supr. Quod locum ex Mil. 79 perperam in exempla conduplicationis relatum conspicis, soli typothetae errori debes, qui false percepit, quid in manuscripto uncis illis vellem significari.

Pag. 37 n. 118 leg. est *Manuti*, non *Manutii*

„ 37 n. 119 leg. est *Naugeri*, non *Naugerii*

Ad cap. IV p. 56 sq. Nonnullis fortasse quae nos de varia variis Ciceronis temporibus clausularum ratione exposuimus, aut nimis temere aut praemature videbuntur iudicata. Ac memet ipsum, fateor, saepe paenituit omnino de his rebus iudicium meum pronuntiasse. Sed confirmata est mea sententia, cum oratt. post reditum I et III a. 57 habb. clausulas,

quantum potui diligenter, investigassem. Nam has oratt. optimae classi esse ascribendas mihi quidem plane persuasi fretus nimirum iis numeris, quos solos in hac re respicere equidem par censeo. Huc pertinere puto quadrisyllabas clausulas 44, 1 in centenis inveniri, ascendentes descendentibus superari in classe vocum disyllabarum numero 2, 2 i. cent. (exstant desc. 7, 8, asc. 5, 6), in classe quadrisyllabarum vocum numero 33, 5 (desc. 38, 8, asc. 5, 3), denique ditrochaeos inveniri 20, 1 i. c., huius formae clausulas – ◡ | ◡ ◡ – ◡ 7, 1. Nec vero mihi utpote nil nisi veritatem persequenti licet omittere ea, quae alii fortasse meae opponant sententiae: ut summam disyllabarum clausularum maiorem esse quam deceat optimam periodum: sed huic numero non nimium tribuendum esse nemo non videt. Multo magis mireris, quod duobus locis plenam periodum claudit diiambus conformatus ex voce iambica, quae excipit vocem in ‚creticum desinentem, sc. dom. 34, ‚*collegio solet*‘ (.) et 52 ‚*negotium dedit* (.), quorum hic nescio an eo excusatur, quod Cicero hic Clodium facit loquentem, illum emendatoribus commendare nullus dubito.

Ad cap. V p. 59 adn. 144: Ceterum in ipsius Eberhardi (an Richteri?) praef. p. 10 haec exstant: ‚*und auch hier beweist Cicero Freimut und Vaterlandsliebe* e.q.s.‘

Ad pag. 60 v. a supr. 13. Quam sententiam eos, quos nominavi, vv. dd. verisimile est Drumanno (hist. Rom. VI p. 266 adn. 52) debere. Similiter Passowius (‚verm. Schriftt.‘ p. 271 sq.) iudicaverat, qui tamen idem vix potuisse fieri censebat, quin ipse Cicero hanc orationem in publicum prodire iuberet.

Pag. 63 v. a. supr. 12: Nimirum de Ligarianae quoque editione testes nobis sunt complures epistt. Ciceron. loci, ut XIII, 19, 2; 12, 2; 20, 2; 44, 2, ex quibus primum, quippe qui forsitan ad summam totius dissertationis nostrae pertineat, hic exscribam: ‚*Ligarianam ut video praeclare auctoritas tua commendavit. Scripsit enim ad me Balbus et Oppius mirifice se probare ob eamque causam ad Caesarem eam se ortiunculam misisse.*‘

Vita.

Natus sum Carolus Guttmann Vratislaviae Silesiorum in capite a. d. VIII. Kal. Maias a. p. Chr. n. 1860 patre Mauricio Adolpho, matre Constantia e gente Helwigiorum. Fidem profiteor evangelicam. Litteris imbutus sum in gymnasio Elisabetano, quod tum florebat auspiciis Kar. Rud. Fickerti, qui vir praeclarissimus eam, qua iam patrem meum affecerat, benevolentiam in me quoque transtulit. A quo autumno a. p. Chr. n. 1878 discessi maturitatis quod dicunt testimonio instructus, ut in universitate litteraria Viadrina studiis me dederem philologicis. In quae cum per II semestria ducibus inprimis A. Rossbachio, A. Reifferscheidio, M. Hertzio incubuissem, Gryphiam me contuli, ubi per sex semestria scholas frequentavi Fr. Susemihli, Ad. Kiesslingi, U. de Wilamowitzi, B. Hirschi, Schuppi, Vogti, Preuneri, sem. phil. sod. extraord. per IV fui semestria, ordinarius fere per duo nec non interfui exercitationibus Aristotelicis Susemihli, Preuneri archaeologicis, B. Hirschi historicis.

His viris omnibus inprimis autem SUSEMIHLIO, WILAMOWITZIO maximeque AD. KIESSLINGIO, qui me in hac universitate recepit, aluit, auxit, gratias ago quam possum ex animo maximas.

Sententiae controversae.

I. Cic. de finn. II, 3, 10 perperam C. F. W. Müller codicis Pal. A. lectionem ,tum esse in motu voluptatem, quae [quę] faciat varietatem voluptatum' in textum reduxit, quam olim Davesius recte mutavit in ,qui' a Madvigio postea aliisque probatus.

II. Cic. legg. III, 3, 7 legendum puto: ,suntoque aediles ... isque ad honoris amplioris gradum primus ascensus esto.' (Codd. ollisque ... is ... ascensus esto.)

III. Cic. Phil. II, 64 Hellmuthius l. l. perperam in eundem cogit locum ac R. C. 17 ,potest hoc homini huic haerere peccatum'. Sest. 62 ,haereret illa nihilominus reipublicae turpitudo'. Immo vero nostro loco quasi in unum verbum, certe in unam notionem conflata sunt ,infixus haeret' = ,bleibt eingeheftet'.

IV. Cic. p. Marc. 23 propono: ,Si vero ad humanos casus ... sceleris etiam accedat insidiarum (trad. insidiarumque) consensio': ut sceleris pro subiectivo qui dicitur, insidiarum pro obiectivo genetivo habeatur. De collocatione genetivorum cf. Madvig. ad Cic. finn. I, 14; Zumpt. ad Verr. V, 132.

V. Dion. Hal. vett. scriptt. cens. 11 vulgo legitur: *Εὐριπίδης μέν γ' οὐ τὸ ὅλον ἀληθὲς καὶ προσεχὲς τῷ βίῳ τῷ νῦν ἤρεσεν.* Procul dubio illud *οὐ* in *οὖν* mutandum est.

VI. Apud eund. Lys. iud. 14 p. 240 R. Theophrasti verba sic lego: *ὅταν τῷ αὐτῷ τὰ ἐναντία ἢ τοῖς ἐναντίοις τὸ αὐτὸ* (vulgo *τῷ ἐναντίῳ τὰ αὐτὰ*) *ἢ τοῖς ἐναντίοις*